AUTHOR:

KACHNIK, JOSEPHO
DRE.

TITLE:

HISTORIA
PHILOSOPHIAE

PLACE:

OLOMUCCI

DATE:

1896


Master Negative #

92-80547-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4/5/92 INITIALS TM
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter


1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 2.8 2.5
3.2 2.2
3.6
4.0 2.0
1.1
1.8
1.25 1.4 1.6

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



HISTORIA PHILOSOPHIAE.

AUCTORE

DRE. JOSEPHO KACHNIK,

THEOLOGIAE FUNDAMENTALIS ET PHILOSOPHIAE CHRISTIANAE
IN C. R. THEOLOGICA FACULTATE OLOMUCENSI
PROFESSORE P. E. O.

CUM PERMISSIONE CELSISSIMI AC REVERENDISSIMI ORDINARII
OLOMUCENSIS.

OLOMUCII.
SUMPTIBUS R. PROMBERGER, BIBLIOPOLAE.
1896.

Typis Fr. Slavik, Olomucii.

Index.

Introductio.

Pars prima.
Philosophia graeca.
Caput I.
Initium et status florens philosophiae graecae.

A. Philosophia graeca ante Socratem.

B. Philosophia socratica-attica.

Caput II.
Status decrescens philosophiae graecae.

Caput III.

Philosophia graeco-orientalis.

Pars secunda.

Philosophia vetus christiana.

Caput I.

Philosophia Patrum.

Caput II.

Philosophia Scholasticorum.

Pars tertia.

Philosophia recentior, moderna.

Caput I.

De empirismo.

Caput II.

De Rationalismo.

Pars quarta.

Philosophia recentior christiana.

Introductio.

§ 1. Notio, momentum et divisio historiae philosophiae.

Notio. Intellectus humanus natura sua tendit ad veritam. Propterea historia teste homines inde ab orgine verum quaerebant. Initio principium mundi visibilis investigantes, varia elementa materialia primas causas omnium rerum esse dicebant, dein ad supramundanum principium ascendentes, illud auctorem huius mundi aspectabilis esse putabant, sed decursu temporis iterum ad materiam descendentes, ipsam aeternam esse autumabant; denique nonnulli de omnis veritatis certa cognitione sceptice desperabant. Has phases philosophicae operationis intellectus humani describit historia philosophiae. Ipsa exponit systematice varias sententias philosophicas, prout se temporis decursu evolverunt et ostendit, quomodo scholae philosophicae vel singuli philosophi super fundamenta speculationis philosophicae ab aliis iam posita novas idearum series superstruebant, aut vero fundamenta veterum relinquentes, nova prorsus systemata invenire studebant.

Momentum. Historia philosophiae tamquam descriptio progressus ingenii humani pertinet ad historiam culturae et constituit monumentum splendidissimum intellectualis operationis generis humani. Apud omnes nationes viri celeberrimi et ingenio praestantissimi investigationi primarum causarum mundi operam navabant et ab eis philosophia princeps et regina scientiarum habebatur. Qui ideo culturam huius vel illius gentis cognoscere vult, necesse, ut etiam ad speculationem philosophicam apud eandem attendat. Sine notitia historiae philosophiae impossibile est intelligere singula philosophorum systemata, quia ad hoc requiritur, ut possit secerni, quid philosophus ab aliis acceperit et quid e propriis adjunxerit, quae omnia historia philosophiae docet. Incognita disciplina nostra difficillimum problemata philosophica propria investigatione solvere, quia fieri posset, ut laboraret quis in quaestione, quae diu iam a philosophis dillucidata fuit. Studio historiae philosophiae perficitur memoria, quia ditatur utilibus cognitionibus de summis principiis essendi et vivendi; studium historiae philosophiae acuit intellectum porri-

gendo novas ideas et docendo simul, qua via incedendum sit ipsi, ut assequatur veritatem et vitet errorem; studium historiae philosophiae nobilitat voluntatem movendo eam, ut se ad bonum summum elevet, sine quo omnis scientia nihil proficit; studium historiae philosophiae refrenat superbiam, quia ostendit, limitatam et imperfectam esse rationem humanam, quum de gravissimis vitae quaestionibus genus humanum edocere non potuerit, usque dum ipsa Veritas divina se revelare dignata sit.

Argumentum historiae philosophiae accuratius consideranti patebit veritas, in philosophia Graecorum novissimae speculationis philosophicae semina contineri, ita ut liceat affirmare, ideas, quas iam Graeci pronuntiavere vel saltem suspicati sunt, iterum atque iterum posterius redire, melius explicari et fundari, institutis novis experimentis et scientiis naturalibus proficientibus. Esset vere et diebus nostris philosophia regina scientiarum naturalium, nisi reformatores et rationalistae firma fundamenta philosophiae aristotelicae, platonicae et scholasticae proiecissent et superbia elati, animo ecclesiae catholicae infenso systemata philosophiae recentioris labilia et arbitraria construxissent.

Divisio. Praemissa expositione idearum religioso-philosophicarum apud Orientales, dividemus totam historiam philosophiae in quatuor partes:

Pars I. Philosophia graeca;
„ II. Philosophia vetus christiana;
„ III. Philosophia recentior moderna;
„ IV. Philosophia recentior christiana;

adiicientes capita et paragraphos, succincte tamen, prout scopus praelectionum academicarum expostulat et innixi operibus historiae philosophiae A. Stoeckl (Moguntiae 1889, ed. 3.), I. Van der Aa (Lovanii 1889, ed. 2.), V. Knauer (Vindobonae 1881, ed. 2.), Ed. Zeller (Lipsiae 1877, ed. 4.), Fr. Ueberweg (Berolini 1886, ed 7.), Ios. Durdik (Pragae 1885, ed. 1.) et aliorum, qui eandem materiam linguis vernaculis calamo fuso pertractant.

§ 2. Ideae religiosae-philosophicae apud gentes orientales.

1. Apud Graecos. Certum est, Graecos cum Orientalibus commercia exercuisse et ex Oriente multas ideas religiosas et philosophicas suas fecisse. Propterea etiam apud eos initio speculatio philosophica cum ideis religiosis conjuncta apparet; posterius demum Graeci primi omnium populorum philosophiam separatim a theologia tractare coeperunt. Ideae religiosae-philosophicae occurrunt

in operibus Homeri, Hesiodi, in poëmatibus Orphei, in mythologiis. Pridem iam inclaruerunt septem sapientes graeci, quorum sententiae tum vitam moralem cum practicam in multis apud Graecos dirigebant. Suntque sequentes: a) Thales, Miletinus (c. a. 640 a. Ch.) — de quo infra — cui sententia „Ne nimis!“ adscribitur. b) Solon, Salaminensis, Atheniensium legislator (558 a. Ch.): „Respice finem!“ c) Chilon, Lacedaemonius (598 a. Ch.): „Nosce teipsum!“ d) Pittacus, Mytilenaeus (569 a. Ch.): „Nosce tempus opportunum!“ e) Bias, Prinaeus: „Ama tamquam osurum!“ f) Cleobulus, Rhodius: „Modus optimus!“ i. e. in medio virtus. g) Periander, Corinthius tyrannus (535 a. Ch.): „Modestus in prosperis, fortis in adversis!“

2. Apud Persas invenimus principium summum, aeternum, ens a se, cuius nomen Mythras. Mythras genuit principium omnis boni: Ormuzd et principium omnis mali: Ahriman. Ahriman originetenus bonus, factus est malus ex invidia erga Ormuzd. Ormuzd creavit spiritus bonos et mundum bonum, Ahriman spiritus malos et malum in mundo. Animae humanae sunt spiritus boni, qui olim cum Ormuzd in coelo habitabant, nunc autem in corpora detrusi adversus malos spiritus certant. Si hoc feliciter perfecerint, post mortem corporis redibunt ad Ormuzd, sin aliter, cum Ahriman condemnabuntur. In fine mundi erit resurrectio universalis, tota natura renovabitur igne, damnati purificabuntur et intrabunt beatitudinem; omne malum peribit, manebit solummodo paradisus luminosus. Ormuzd et Ahriman reconciliabuntur, Ahriman cum suis boni fient. Haec omnia in Zoroastri (c. saec. 7. a. Ch.) libro Zendavesta descripta apparent.

3. Indi ex omnibus veteribus gentibus speculationi religioso-philosophicae maxime indulgebant. Recentiores philosophi nonnulli ideas eorum nimis extollunt, imo ipsi christianismo anteponunt. Inter sacros libros Brahmanorum eminent: 4 libri Vedas et collectio legum Manu. Porro libri poëtici Ramaiana, Mahabharata, Puranas, et Sakuntala a Kalidasa scripta.

Breve argumentum horum librorum est: Brahma est deitas suprema, ens illimitatum, infinitum et simplex. Evigilans e somno aeterno creavit mundum et respectu hoc vocatur Brahma, dirigit et conservat hunc mundum et vocatur Vishnu, immutat res mundanas et vocatur Shiva. Tria haec constituunt „Triadem“ Indorum: Trimurti. Vishnu saepe et modo vario in mundo apparuit incarnatus. Omnia in Brahma redire debent et propterea

cuiuslibet officium est, ut per sacrificia, poenitentiam et per perfectam otiosam contemplationem illius unitatis universalis in ipsam redire studeat. Quod si non attigerit, metempsychosim subire debet.

Doctrina haec est aperte pantheistica. Decursu temporis varie a commentatoribus est immutata. Qui commentatores in orthodoxos et heterodoxos dividuntur. Priores Vedas sequuntur, posteriores ab eis discrepant. Ad orthodoxos pertinent auctores libri Vedanta.

Secundum Vedanta a) est Brahma divinitas unica, infinita, aeterna, immutabilis, extra quam nihil existit, nam si existeret, deberet esse finitum, temporale, mutabile et deberet esse factum a Brahma, quod praesupponeret in ipso principium limitationis et mutationis, quod est impossibile; propterea nihil a Brahma creatum est, omnia sunt mera illusio — Brahma solus existit. Ideo

b) mundus non est nisi evolutio et emanatio Brahmae, ipse causa est huius evolutionis et evolvit mundum e seipso; emanatio incipit ab infinito et indeterminato et pertingit per varias transformationes ad magis determinatum et finitum: ab aethere ad lucem, a luce ad aërem, ad liquidum, solidum et redit ordine inverso iterum in Brahma.

c) Anima humana est pars Brahmae et propterea immortalis; cum corpore coniuncta est quodam corpusculo aetherico, quod impedit, quominus anima Brahma immediate contempletur et beata sit; Brahma quidem omnia necessario operatur in anima, attamen secundum dispositionem animae, in quadam vita praecedente acquisitam, quamobrem malum non Brahmae sed animae imputatur.

d) Felicitas hominis consistit in quiete, quam homo demum post liberationem a corpore in Brahma invenire potest. In hac vita debet se homo ad illam beatitudinem contemplatione aeternitatis et infinitae unitatis Brahmae praeparare, ad quod sacrificia, poenitentia, meditatio et devotio conducunt. Contemplatio iam hisce in terris quandam quietem et beatitudinem causat, quae post mortem totali unione cum Brahma perficietur.

e) Morte liberatur anima a corpore et adipisci potest triplicem beatitudinem. Si in vita terrestri ascesim perfectam exercuerit, liberatur etiam a corpusculo aetherico et coniungitur intime cum Brahma; si ascesis imperfecta fuerit, corpusculo aetherico inclusa cum Brahma habitat; si nullam ascesim sectata sit, punietur; si tamen saltem quaedam opera bona perfecerit, metempsychosi subiicietur, ut sibi detur occasio, ascesim perfectiorem exercendi.

Ad orthodoxos commentatores pertinet prae aliis Kanada, auctor systematis Vaiseshika, qui primus docuit atomismum, attamen Deum summum, aeternum, immaterialem agnoscebat.

Summa eius systematis est:

a) Mundus constat ex indivisibilibus, immutabilibus atomis, qui non casu, sed certa lege secundum affines qualitates in binarios, dein binarii in terniones, in quaterniones et sic porro coniunguntur et quidem non interna necessitate, sed actione omnipotentis infiniti Dei.

b) Homo constat e duabus partibus: α) e corpore — sede operationis et laboris, sensuum et sensitivi appetitus, β) ex anima tamquam sede actionum oppositarum, scilicet: cognitionis, amoris et odii. Corpus cum anima coniungit sui conscientia. Omnia, quae animae adhaerent, ipsi mala sunt: corpus, sensus, actiones et cetera.

c) Kanada omnia reducit ad sex categorias: substantiam, qualitatem, actionem, commune, proprium, relationem.

d) Quoad beatitudinem eadem docuit sicut commentatores orthodoxi.

Hac doctrinae religiosae-philosophicae a Brahminis magni aestimantur, studio earum occupati vulgus vitant et castam doctorum peculiarem constituunt, quae usque hodiedum apud Indos magna gaudet auctoritate.

Contra castarum separationem surrexit saec. V. et VI. a. Ch. n. Çakya-Muni, propugnator atheistici systematis Sakhya, et praedicavit religionem popularem, nihilisticam, quae vocatur Buddhismus. Patria pulsus propagavit doctrinam suam apud Chinenses, Mongolos, Thibetanos. Saec. VIII. Buddhismus in Indiam rediit, attamen saec. IX. iterum ex interiori India a Neo-Brahmanismo fugatus est et solum in confinibus se conservavit, ubi usque ad diem hodiernum viget.

Lineamenta Buddhismi regenerati sunt:

a) Existit Nirvana, nihilum, sedes omnis beatitudinis et perfectae quietis. Divinitas sicut homo vicissitudinibus obnoxia est et cum eo aliquando in Nirvana redibit; ipsa homines non curat et superfluum est, eam invocare.

b) Homo et mundus illusiones sunt, usque dum redeant in Nirvana; hominis ergo est, ut perfecta scientia et rigida ascesi citissime in Nirvana redire studeat. Si homo in vita ascesim omiserit, post mortem umbra eius in terra vagari debebit. Çakya-

Muni est primus Buddha, qui perfecte in Nirvana introivit. A Buddhistis tamquam deus invocatur et honoratur.

c) Scientia perfecta consistit in agnitione sequentium principiorum: Existit quadruplex veritas: α) dolor universalis, cuius causa sunt passiones humanae et cuius finis Nirvana; via ad Nirvana est ascesis et contemplatio doloris universalis; β) res mundanae perpetuae mutationi sunt obnoxiae; γ) ignoramus, quid sit mors, quid nativitas, quid existentia ante nativitatem, quid affectiones ad varias res, quid ideae, quibus decipimur; δ) Nirvana est liberatio ab omni illusione, vicissitudine, activitate et individualitate: universalis indeterminatissima existentia, nihilum, felicitas perfecta.

Hanc doctrinam atheam et nihilisticam solummodo classes sapientiorum apud Indos profitentur, vulgus polytheismo indulget, sed vitam et retributionem post mortem exspectat. In Germania Arthur Schopenhauer et Ed. Hartmann buddhisticas absurditates resuscitarunt. Rationalistae quidam (Strauss, Renan, Bluntschli) Catholicismum Buddhismo postponere, imo ipsum Christum Çakyae-Muni aequiparare ausi sunt.

4. Apud Sinenses antiquissimus liber religiosus est Y-King, conscriptus a Fohi. Secundum eundem duo suprema existunt principia increata, aeterna: masculinum — coelum et femininum — terra. Componuntur autem principia haec iuxta certam legem, quae numero unitatis — perfecto — et dualitatis — imperfecto — dirigitur. Homines aut principium unitatis sequuntur et sunt boni, aut dualitatis et sunt mali.

Circa saec. VI. a Ch. ortae sunt apud Sinenses duae scholae philosophicae: schola Lao-Tseu, theoretica, et Kung-Fu-Tseu (Confucius), practica.

Lao-Tseu docet in libro Tao te King (liber de suprema ratione), unum esse summum Deum „Tao" (ratio), qui neque definiri neque concipi potest, quia est summus, infinitus, simplex, aeternus, immutabilis. Tao in se absolute unus evolvit se relative in phaenomena huius mundi. Homo possidet animam immaterialem, quae sui conscientiam post mortem retinet et vitam individualem conservat, ceterum tamen in Tao absorbetur, si perfecte, i. e. secundum normam Tao, vixerit. Principes suis subditis bona exempla praebeant, divitias et honores contemnant, ceterum autem, ut pax vigeat, plebem in ignorantia detineant, quia ignoti nulla cupido.

Kung-Fu-Tseu omnia bona, praeprimis providentiam, coelo tribuit. Coelum instituit filium suum imperatorem super omnem populum. Quilibet ei subiacet et quilibet officia sua ita adimplere debet, ut harmonia et aequilibrium inter ceteros nunquam turbetur. — Doctrinam tenent sapientes, quin sit unitas inter eos. Vulgus plures deos colit. Confucius summae est auctoritatis et cultu religioso honoratur.

5. Aegyptii diu natio philosophica habebantur, quia in eorum mysteriis sapientiam profundam nonnulli reconditam esse putabant.

Sed scriptura hieroglyphica detecta et mysteriorum argumento exposito apparuit, profundiora philosophemata ibi non inveniri. Est doctrina eorum fere haec:

Existit principium primum, sine nomine, obscuritas primitiva: Piramis. Ex ea emanavit Kneph, causa efficiens rerum, Ptas, ordinator mundi et principium vitae, Thot, sapientia. Item emanarunt Osiris, principium activum, immateriale et luminosum, Isis, principium passivum et materiale; ex iis ad instar filiorum e patre et matre orta sunt omnia. Osirim repraesentat sol, Isim luna.

Principium mali, Typhon, progenuit cum Nephthys, Venere Aegyptiorum, omnia mala in mundo.

Anima humana emanavit e principio immateriali et est immortalis; animae, quae pure vivebant, post mortem societatem deorum ingrediuntur, malae vero metempsychosim subire debent et non solum in corpora animalium sed etiam plantarum includuntur.

Plures sacerdotum Aegyptiorum astrologiae, magiae et geometriae vacabant, ita ut ipsi Graeci eos sapientiae addiscendae causa visitaverint.

Pars prima.

Philosophia graeca.

Incipientes a disputatione de materiali principio rerum naturalium philosophi graeci pedetentim altius super materiam se elevantes, Deum supramundanum tamquam principium omnis entis agnoverunt, ita ut in tribus coryphaeis: Socrate, Platone, Aristotele philosophia graeca statum florentissimum celebraverit. Exinde tamen decrescendo in varias scholas divisa, unitatem amisit et obnubilari coepta est, usque dum in philosophia graeco-orientali

extrema eius vestigia deprehendamus. Secundum hanc evolutionem philosophiam graecam in tribus capitibus tractabimus, agentes:

in capite I. de initio et statu florente philosophiae graecae;
„ „ II. de statu eius decrescente;
„ „ III. de philosophia graeco-orientali.

Caput I.

Initium et status florens philosophiae graecae.

A. Philosophia graeca ante Socratem.

Ante Socratem alii philosophi graeci essentiam rerum principio materiali explicare conabantur et vocati sunt Ionici vel Hylici, alii principio formali, numero et figura, et appellantur Pythagoraei, alii principio intrinseco *ἓν καὶ πᾶν*, quod unum est et immutabile, et vocantur Eleatae, alii denique compositione rerum mechanica ex atomis et dicebantur Atomistae. Quae omnes explicationes quum minus placerent, philosophi graeci ad Sophisticam declinarunt.

§ 3. Philosophi Ionici.

Philosophi ionici etiam „physici" vel „physiologi" nominari possunt, quia dynamice via empiricae inductionis originem rerum principio materiali (*ὕλη* = materia informis) explicare conabantur, causam efficientem eandem esse cum causa materiali dicentes. A *ὕλη* etiam Hylici vocantur. Ad eos pertinent:

1. Thales, civis Miletinus (640—548 a. Ch.), coaetaneus Solonis et Croesi, unus e septem sapientibus Graecorum, scientia matheseos et astronomiae celeber, qui elementa harum scientiarum ex Oriente in Occidentem transplantasse fertur. Ab Aristotele (Metaph. I, 3. 983, b, 23) philosophiae ionicae auctor nominatur, qui omnium principium aquam esse docuit (*ὕδωρ εἶναι φύσιν*, scilicet *στοιχεῖον καὶ ἀρχὴν τῶν ὄντων*). Idem de eo refert Cicero (Acad. II., 37, 118) dicens: „Thales ex aqua dicit constare omnia". Quomodo sibi ortum rerum omnium ex aqua repraesentabat, nescimus, quia scripta eius pridem perierant. Aristoteles narrat, Thaletem aquam principium rerum proclamasse, quia expertus fuerit, quamvis escam madidam esse et per madidam escam calorem in corpore causari, per quem corpus conservetur. Item maditidate aquae semen excitari, ut in arborem crescat. Aqua

ab anima mundana vivificatur et varie transformatur; anima autem mundana est spiritus divinus. Tota natura ab hoc spiritu vivificatur. Etiam magnes animatus est, quum ferrum attrahat. Omnia in mundo diis repleta sunt (*πάντα πλήρη θεῶν εἶναι*). Terra natat super aquam (Arist. Metaph. I., 3, 983, b, 21). Solis obscurationem novisse fertur. Darwinistae ad eum provocant, acsi generationem aequivocam e spumis aquae, hydro-et oxygenio refectis docuisset.

2. Anaximander, Miletinus (nat. c. a. 610 a. Ch.), Thaletis amicus et discipulus, qui docuit, principium (*ἀρχή*) rerum omnium *τὸ ἄπειρον* (infinitum) esse. *ἄπειρον* est indeterminatum, attamen fundamentum omnis determinationis, non est exortum neque perit et omnia potentia continet.

Non putabat, illud esse meram ideam, sed materiam infinitam, quia tamquam physicus pro physicis scripsit. Ex *ἄπειρον* per selectionem (*κρίνεσθαι*) oriuntur opposita: calida et frigida, sicca et humida, et aqua, quae est materia prima omnium rerum. Abhinc Thaletem sequitur. Darwinistae eum patrem nominare possunt, quia docuit, ex aqua orta esse animalia, quae primum formam piscium, postea, quum terrae superficies siccata fuerit, formam animalium terrestrium induerint. — Prout omnia ex *ἄπειρον* prodierunt, ita omnia in ipsum redibunt, (circulus aeternus!), sed iterum novus mundus prodiet. Existunt plures mundi.

Anaximander chartas geographicas primus descripsit, distantiam terrae a luna et sole nec non earum dimensiones determinare conatus est; quoddam horoscopium construxit et gnomonem (horologium solare) aut ipse invenit aut in Graeciam introduxit. Scripsit librum *περὶ φύσεως*, qui pridem periit.

3. Anaximenes, Miletinus (vixit c. a. 528 a. Ch.), discipulus Anaximandri. De vita eius nihil certi notum est et e doctrina eius unica prostat sententia apud Stobaeum (Eclog. phys. p. 296): „Sicut anima in nobis, quae est aër et quae nos compaginat, ita amplectitur spiritus et aër totum universum" (*Οἷον ἡ ψυχή, φυσίν, ἡ ἡμετέρα ἀὴρ οὖσα συγκρατεῖ ἡμᾶς, καὶ ὅλον τὸν κόσμον πνεῦμα καὶ ἀὴρ περιέχει*).

Dicit ergo *ἄπειρον* Anaximandri aërem esse, qui sit infinitus, semper in motu, animatus; ex quo per condensationem (*πύκνωσις*) et resolutionem (*μάνωσις*) oriantur: ignis, ventus, nubes, aqua et arrida. Nonnulli recentiorum physicorum putant, Anaximenem aërem pro statu vaporifero habuisse, in quem omnia corpora redigi possunt.

4. Anaxagoras, Clazomenius, qui anno 500 a. Ch. sub Pericle Athenas venit et ibi primus philosophiam docuit. Fuit discipulus Anaximenis et amicus Euripidis et Periclis. Ineunte bello peloponesico atheismi accusatus, patria fugit et non diu post Lampsaci obiit.

Dicebat, mundum constare ex innumeris particulis, quae dividi non possunt. Vocat eas semina (σπέρματα), Aristoteles posterius homoiomerias (ὁμοιομερεῖαι) eas appellavit. Suntque particulae hae aut homogeneae aut heterogeneae, unde varietas rerum mundanarum explicatur. Sunt aeternae, quia ex nihilo non potuit aliquid ortum esse, nam e nihilo fit nihil. Quum in principio permixtae fuerint, non potuerunt proprio motu in ordinem redigi, sed factum est hoc a spiritu (νοῦς), qui quibusdam particulis motum circularem tribuit et deinde mundum propriae evolutioni reliquit. Motus pedetentim omnibus particulis se communicavit, ita ut graves, humidae, frigidae in medio consisterent et terram, saxa, ossa, carnem et cetera componendo efficerent; leves, calidae, siccae in altum tollerentur, unde aër et corpora coelestia exorta sint (Theoria Laplace?). Coecum fatum (τύχη) et necessitatem (εἱμαρ μένη) rejicit. Ab Aristotele laudatur, quod spiritum (νοῦς) admittat, sed vituperatur, quia ipsi solummodo primum impulsum tribuit, mundum postea sibi ipsi relinquens. Haec circumstantia videtur causa fuisse suae accusationis et condemnationis de atheismo. Ceterum docuit hylozoismum, quum affirmaret, spiritum (νοῦς) pro perfectione organismorum diverse in plantis, animalibus et hominibus se manifestare, sed semper eundem et materiae immanentem manere.

5. Diogenes Apolloniates (c. a. 440–425 a. Ch.), discipulus Anaximenis et Anaxagorae successor in schola ionica Athenis. Acceptavit doctrinam magistri sui Anaximenis de aëre tamquam primo omnium rerum principio, sed addidit, principium hoc magna scientia praeditum esse, quum non solum omnia penetret, sed in animalibus et hominibus etiam vitam et suiconscientiam causet. S. Augustinus dicit de doctrina eius (De Civ. Dei VIII., 2): „aërem quidem dixit rerum esse materiam, de qua omnia fierent, sed eum esse compotem divinae rationis, sine qua nihil ex ea fieri posset.“ Erat hylozoista et scripsit librum περὶ φύσεως, cuius fragmenta exstant.

6. Heraclitus, Ephesius (c. a. 500 a. Ch.), docuit, quod omnes quidem philosophi ionici praesuppouebant, sed nemo disserte

protulerat, scilicet: omnia perpetuae mutationi esse obnoxia, omnia fluere — πάντα ῥεῖ.

Quae doctrina ipsi est characteristica. Principium primum rerum omnium dicebat esse ignem et quidem ignem realem, non solummodo ignem tamquam symbolum mutationis perpetuae. Ex igne omnia evolvuntur et omnia in eundem redeunt.

Mundus neque ab hominibus neque a diis factus est, sed est ignis, qui secundum mensuram flagrat et exstinguitur. Qui ignis spiritus est calefaciens (ψυχή), purissimus, aethereus, ex quo per condensationem via deorsum (ὁδὸς κάτω) oriuntur successive aër, aqua, terra et vicissim per rarefactionem via sursum (ὁδὸς ἄνω) iterum e terra: aqua, aër, ignis. Quia haec via unica est, inter descensum et ascensum perpetua adest pugna et in hac pugna est vita. Per talem luctam oriuntur ex igne res et in exortis harmoniam et ordinem causat lex divina, ratio (λόγος). Sic modo principium primum evolvit se et iterum in seipsum redit. Evolvuntur mundi innumeri, pereunt igne, ut novi prodirent. Constantia nulla, omnia mutantur, omnia fiunt, quia unum transit in aliud, sed sine causa — necessitate, et tamen secundum rationem supremam, seu, prout Heraclitus dicit: „εἱμαρμένη“. Ratio suprema (λόγος) est inpersonalis, omnia penetrat et est qualitas ignis aeterni.

Anima humana est pars ignis aeterni, individua, corpore inclusa, quod iterum constat ex aqua et terra; quo plus anima habet de igne aeterno, eo perfectior et melior est. Est immortalis sensu pantheistico, quia redit in ignem aeternum. Homo, quem puer ducere debet, habet animam madidam, anima sicca est sapientissima et optima (αὔη ξηρὴ ψυχὴ σοφωτάτη καὶ ἀρίστη).

Animae cogitant per respirationem ignis ubique diffusi et solummodo ea, quae hac ratione cognoscunt, vera sunt; sensibus non est credendum; anima felicissima est, si redierit in ignem aeternum; hominem nasci non est bonum, sed malum. His non obstantibus docuit, existere divinitatem, spiritus, metempsychosim et retributionem post mortem.

Sicut ceteri philosophi graeci vulgus despiciebat, dicendo, ipsum nasci et gignere prolem, vivere more animalium et mori, quin ad altiora elevari possit.

Summum principium moralitatis dicebat consistere in observatione legis communis a natura datae, secundum quam quilibet agere debet, quod communi bono inservit, neque se super alios efferre. In hoc summa beatitudo hominis consistit. Naturalis

beatitudo unicus est hominis finis. Mundus semper idem manet, in hominis est potestate positum, se felicem reddere (*ἦθος ἀνθρώπῳ δαίμων*). Scripsit librum *περὶ φύσεως*, de quo 120 fragmenta remanserunt. Stylus eius est difficilis, paradoxus et obscurus, quamobrem nomen philosophi obscuri (*ὁ σκοτεινός*) accepit.

§ 4. Pythagoraei.

Philosophi ionici originem et naturam rerum principio materiali explicare studebant, Pythagoraei e contra per principium formale: figuram et numerum; Ionici inductive, Pythagoraei deductive sententias suas firmare satagebant. Pater Pythagoraeorum est:

1. Pythagoras, patria Samius, verosimiliter discipulus Anaximenis, coaetaneus Thaletis. Sapientiae addiscendae causa peragravit Aegyptum, Phoeniciam, Chaldaeam, Indiam, Arabiam. Multa de ipso fabulosa narrantur. Constat, eum in urbe Crotone Italiae inferioris consedisse, ibique scholam condidisse, quae ad instar congregationis discipulos in scientiis et religione educabat.

Discipuli dividebantur in exotericos et esotericos, illi edocebantur de virtutibus et vitiis, hi praeprimis studio matheseos et philosophiae incumbebant. Mathesin ad musicam adhibentes, scientiam de sonorum harmonia primi coluerunt. Etiam medicinae et gymnasticae operam navabant. Pythagoras apud suos tanta gaudebat auctoritate, ut ab ipsis per „*αὐτός ἔφα*" (magister dixit) omnis lis dirimeretur. Ceterum mensam communem habebant et silentium observabant. Constitutio eorum erat aristocratica et manifestatio mysteriorum stricte prohibita. Saec. V. eorum synedria a factione democratica combusta sunt, ipsi aut fugerunt aut enecati sunt. Pythagoras obiit Metaponte. Scripta ab eo nulla possidemus.

Iuxta Aristotelem (Metaph. XIII., 6, 1080, b, 16) docuit Pythagoras, rerum principium esse numeros vel elementa e numeris derivata. Numeri non sunt merae qualitates rerum, sed ipsa earum substantia. Ideo omnia ad numeros reducebat. Sanitas e. g. erat ipsi harmonia actuum, quae consistit in eo, ut quivis actus vitalis suo numero ad vitam conferrat; iustitia, ut cuilibet tribuatur, quod ei debetur, quod secundum normam „ne nimis!" numero exprimi potest. Corpora coelestia disposita sunt in universo ad numerorum relationes; inde harmonia sphaerica.

Pythagoras primus vocem *κόσμος* ad universum exprimendum adhibuisse fertur. Physica recentior probat, multa in systemate

eius vera contineri, quum omnes differentiae qualitativae ad quantitativas reduci et numeris exprimi queant.

2. Doctrinam Pythagorae excoluerunt discipuli eius, inter quos eminet Philolaus, coaetaneus Socratis, qui principia scholae in systema redegit; porro Timaeus, Archytas et alii. Summa doctrinae eorum est:

Principium omnium rerum est duplex: infinitum, indeterminatum et definiens, determinans. Indeterminatum determinatur a determinante et oritur reale: figura, magnitudo, extensio etc. Inter res sic exortas adest relatio, quae, prout res ipsae, numeris exprimi potest.

Numerus est par et impar. Numerus impar est perfectior, quia non est divisibilis, est clausus, limitatus; par e contra est apertus, divisibilis (2), illimitatus, indeterminatus. Numerus impar habet initium, medium et finem: par solummodo initium et finem. Unitas utrumque elementum coniungit, est perfectissima, symbolum unitatis universi, mundi, divinitatis (*τὸ ἕν, μονάς*), est radix et mater numerorum, quia per additionem alii numeri ex ea oriuntur. Numerus binarius est symbolum paritatis, sed etiam dualismi. E punctis mathematicis et intervallis oritur linea, e lineis superficies, e superficiebus solidum corpus; corpora habent varias figuras; terra est cubus. In intervallis adest spatium repletum indeterminato, ita ut in quolibet corpore indeterminatum et determinatum coniunctum sit.

Deus est monas summa, infinita, simplicissima, est principium indeterminatum res determinans, ita tamen, ut mundus ab aeterno existat et in aeternum duraturus sit.

In medio universi est ignis centralis, circa quem cetera corpora moventur; praeprimis sol, qui partem universi incorruptibilem a corruptibili dividit. Circa solem alia corpora gyrant, exinde universi harmonia vel musica oritur. Terrae motionem Pythagoraei suspicabantur.

Homo constat e corpore et anima. Anima est pars ignis centralis et cum eo participat divinitatem; propter quemdam defectum detrusa fuit in corpus, sed non moritur cum corpore, sed, si pure vixerit, cum Deo coniungitur, si se maculaverit, metempsychosim subire debet, ut purgetur; si impura et incorrigibilis existit, in tartarum detruditur.

Inter hominem et Deum existunt daemones, qui sunt naturae incorporeae, quae partim in terra partim in aëre versantur et saepe hominibus apparent. Ad eos pertinent et heroes.

Vita hominis in terra est via purgationis animae; homo sapientiam in terris adipisci non potest, sed potest amare sapientiam solummodo; huicce congruenter Pythagoras se primum φιλόσοφον nominavit, quum omnes Graeci eruditi ante eum σοφοὶ (sapientes) vocarentur (Cic. Tusc. V., 3, 8). Moralitas consistit in harmonia vitae spiritualis et adest, si se irrationabile rationi subjicit, ex quo conformatio omnium actionum et facultatum, et quies animi oritur.

§ 5. Eleatae.

Eleatae nomen acceperunt a Parmenide, oriundo Elea, urbe Italiae inferioris. Docebant, principium primum omnium rerum esse ens purum, immutabile, immobile — ἓν καὶ πᾶν —, quod sola ratione, non autem sensibus apprehendi potest. Doctrina eorum est pantheismus seu monismus immanens realis, quem recentiores philosophi idealistici resuscitarunt. Eleatis adnumerantur:

1. Xenophanes, Colophonius (nat. c. a. 570 a. Ch.), pauper rhapsodus ex Asia minore, qui in Graeciam venit et Veliae in Graecia Magna scholam fundavit. Non intendebat condere scholam philosophicam, sed solummodo cum discipulis conversando ideam Dei determinare et ab opinionibus mythologicis purgare voluit. Docebat:

a) Deum unum solummodo esse, incorporeum (ἀσώματος), non ad instar figurae hominum. Oppugnabat polytheismum, anthropomorphismum et anthropopatismum Homeri et Hesiodi. Non tamen sibi Deum supramundanum repraesentabat, sed eum esse ens immanens mundo et cum ipso intime coniunctum dicebat.

b) Si omnia moverentur vel fierent (πάντα ῥεῖ Heracliti), deberet aliquid e nihilo fieri, sed e nihilo non potest aliquid fieri, debuit ergo ante „fieri" aliquid esse, si autem hoc, tum superfluum est dicere, aliquid fieri, sed potius dicendum, nihil fieri et omnia esse. Quia ergo omnia sunt, illa omnia unum sunt: ἓν καὶ πᾶν.

2. Parmenides Eleates (nat. 515—510 a. Ch.), Xenophanis discipulus, magistri systema ita mutavit, ut ad purum idealismum deviaverit.

Recte cogitat, qui agnoscit, ens unum esse; multitudo est error, cuius causa sunt illusiones idearum. Naturam idearum non explicat. Sensus nos fallunt, omnia realia sunt illusio. Anima constat e quatuor elementis physicis.

3. Zeno Eleates (nat. c. a. 490—485 a. Ch.), Parmenidis discipulus et amicus, sui magistri doctrinam explicavit et novis

auxit dubiis, quae usque ad nostra tempora nonnulli solvere conati sunt (prof. Loewe Pragae). In hypothesibus demonstrandis usus est methodo dialectica, propterea auctor dialecticae vel logicae nuncupatur. Rebellionis contra patriae tyrannum (Nearchum) accusatus et ab eodem verosimiliter occisus est. Summa doctrina eius est:

a) Impossibile est, ut omnia moverentur, nam si omnia perpetuo moverentur, motus neque potuisset incipere neque fieri de loco in locum. Sagitta volans, si vere existit, alicubi est, ergo aliquo momento quiescit; sed si perpetuo moveretur, quocunque momento non esset ulterius in loco, quia quolibet momento locum mutaret, ergo quiesceret simul et moveretur, quod est impossibile. Similia sophismata Aristoteles continuitate spatii et temporis solvere studuit.

b) Spatium reale est impossibile. Nam quum res sit in spatio, spatium tamdiu in minimas partes dividi potest, usque dum „nihil" remaneat; si autem hoc, tum spatium e nihilis est compositum, e nihilo autem fit nihil: ergo tempus reale non existit. Idem sophistice asserit de tempore reali, quod dicit e momentis esse compositum.

c) Materia extendit se in spatio et propterea de ea idem valet, quod de spatio. Est composita ex atomis; atomi sunt aut puncta simplicia (mathematica), quo casu materiam extensam efficere non possunt, aut sunt extensi et tunc usque ad puncta simplicia dividi possunt.

d) Si existeret pluralitas rerum, deberet esse simul finita et infinita. Finita, quia non possunt esse plures res, quam revera sunt: infinita, quia inter has res aliae esse deberent et inter ultimas iterum aliae et sic porro.

e) Certitudinem cognitionis sensitivae addubitat; in physica quatuor elementa admittit: calidum, frigidum, siccum et madidum; ex eis constare animam humanam cum Parmenide affirmat. Omnia necessitate — fato — reguntur (ἀνάγκῃ).

4. Melissus, Samius, qui c. a. 440 a. Ch. Athenienses in proelio navali superavit; scripsit tractatum περὶ τοῦ ὄντος, de quo fragmenta supersunt.

Secundum eius doctrinam τὸ ὂν non est exortum, non est factum, sed est semper, est illimitatum, incorporeum; pluralitatem rerum et ipse rejicit et naturam e duobus principiis: igne et aqua constare dicit.

§ 6. Atomistae.

Atomistae docuerunt, mundum e particulis parvis, invisibilibus constare. Quis primus hanc theoriam protulerit, certo dici non potest; aut Anaxagoras aut Leucippus, Parmenidis discipulus, auctores sunt doctrinae atomisticae.

Inter atomistas graecos eminent:

1. Empedocles, Agrigentinus (c. a. 490 a. Ch.), famosus doctrina sua de quatuor elementis. Peragravit tamquam rhetor, medicus, sacerdos et magus multas regiones, denique in cratere Aethnae periisse fertur. Multa de ipso fabulosa narrantur. Certum est, eum naturae virium gnarum fuisse et primum opinionem protulisse, lucem celerrime in remotum moveri. Docuit:

a) Mundum constare e quatuor elementis: aëre, igne, aqua, terra, quae elementa ex atomis immutabilibus et indestructibilibus sunt composita. Per compositionem et resolutionem horum elementorum exoriuntur res mundanae ope amicitiae (*φιλία*) et inimicitiae (*νεῖκος*). Nonnulli recentiorum philosophorum in his duabus initia doctrinae Kantii de vi attractiva et repulsiva contineri suspicantur. Per amicitiam et inimicitiam in mundo perpetua causatur pugna, qua exortus est imperfectus status huius mundi, qui se deinde a statu perfectissimo (*σφαίρῳ*) separavit, in eum post varias evolutiones iterum rediturus. In mundo organico formae altiores ex inferioribus evolvuntur. Formae inferiores post evolutionem in superioribus tamquam membra apparent, ex quo prodeunt formationes monstrosae, quarum plurimae statim pereunt. Robustiores evolvuntur et propagantur, usque dum in locum evolutionis mechanicae generatio successerit (cf. systema Darwinii).

b) Anima humana constat e quatuor elementis, quia omnia cognoscit et ideo radices omnium rerum in se habere debet, simile enim tantummodo a simili cognosci potest; est tamen spiritualis et immortalis, emanata e substantia divina, in quam iterum redibit, vitam individualem conservatura. E rebus exeunt imagines quaedam (*ἀποῤῥόαι*), quae in sensus nostros agunt, unde cognitio sensitiva originem habet.

c) Deus est spiritus sibi sufficiens, principium omnis entis, perfecta unitas, bonum in se, in quo non est inimicitia. Quia anima Deum cognoscere potest, habitat in ea aliquid divini, scilicet ratio, nam simile solummodo a simili cognosci potest.

d) Prout in mundo physico singulae partes a *σφαίρῳ* divino se separarunt, ita et veritates morales nonnisi partes illius

σφαίρου sunt. Anima a Deo separata debet se purgare per vitam immunem ab omni macula, foeditate et inordinatione, ut cum Deo iterum coniungi possit, quod si non fecerit in vita, post mortem per metempsychosim purgari debet.

2. Leucippus, de cuius vita nihil certi constat. Eius doctrinam ampliavit et excoluit Democritus, natus Abderae c. a. 460 a. Ch., medicus et physicus valde celeber, qui systema atomisticum ita perfecit, ut mox in scholis Stoicorum et Epicuraeorum introductum fuerit. Etiam nostrorum dierum atomistae valde eum celebrant, dicentes, eum in antiquitate atomismum optime novisse. Est autem doctrina eius mechanicus materialismus crassus, qui nullum transcendentem Deum, creatorem mundi admittit. Differt eo a doctrina Anaxagorae, quod iuxta Anaxagoram atomi in qualitative diversis rebus qualitative diversi sint et in qualitative aequalibus qualitative aequales, e contra iuxta Democritum atomi omnes qualitative aequales sint et solummodo geometrice figuris ab invicem discernantur.

a) Atomi sunt aeterni, pondere diversi, existunt in infinito reali spatio (*κενόν, μὴ ὄν*), moventur necessitate (*ἀνάγκη*) ab aeterno et transeunt propter diversitatem ponderis pedetentim in motum circularem, quo facto, pro diversis figuris et ponderibus diversas res componunt, quae propter similitudinem et proportionem aliquot tempus in quadam harmonia ad invicem remanent.

b) Animae et dii sunt atomi politi, globiformes, igniti et maxime durabiles. Anima in tantum dici potest immortalis, in quantum atomi destrui non possunt. De rebus nihil perit; omnia ab aeterno existunt, quia e nihilo iterum solum nihil fieri potest. E rebus profluunt imagines subtiles ex atomis consistentes, quae per corporis poros ad animam pertingunt. Anima solum has imagines, non autem rerum essentias cognoscit.

c) Moralitas consistit in interna terrena felicitate, quae per rationabilem activitatem et moderatum rerum usum acquiritur, cui fini virtus optime inservit. Virtus exerceri debet unice propter hanc felicitatem terrenam sine omni respectu ad aliquam arbitrariam poenam vel aliquod proemium, quum post mortem omnia sint incerta.

§ 7. Sophistae.

Non diu ante Socratem philosophis graecis neque philosophandi ratio materialistica neque idealistica placuit, sed omnia crisi subiicientes, de certa veritatis cognitione dubitare coeperunt. Usi sunt in hac procedendi methodo sophismatibus dialecticis,

quamobrem philosophia eorum sophistica audit. Vestigia sophisticae occurrunt iam in doctrina Heracliti de mutatione perpetua et in hypothesi Eleatarum de sensuum illusione. Plane tamen exculta est sophistica demum a sophistis, qui nihil intactum reliquerunt, quod usque ad tempus eorum in philosophia graeca prolatum fuerit. Athenis scholas habentes, cum magna caterva discipulorum incedere amabant, a quibus largam pecuniam accipiebant. De omnibus disputabant, omnia deridebant. Neque difficile erat, inter tot systemata philosophica contradictiones invenire, singularum opinionum falsitates aperire et sic modo discipulos allicere. Tempus eis favebat: nam quum sub Pericle aurea aetas Athenis viguerit, multi divitiis affluentes dignitates et honores anhelabant, cui fini obtinendo ars rhetorica optime inserviebat. Sed quum iam de omnibus sceptice disputare licuerit, mox omnis sensus veri evanuit et Graecia depravata est. Sophistae id unice meruerant, quod artem dialecticam excoluissent.

Praecipui Sophistarum sunt:

1. Protagoras, Abderita (c. a. 480 a. Ch.), Heracliti sectator. Docuit, ius et iniuriam, bonum et malum non existere obiective (φύσει), sed descendere ex institutione vel determinatione (νόμῳ) hominis, qui potestatem habet. Ex eius doctrina Critias, Polus et Trasymachus concludebant, vim esse fundamentum tum iuris cum moralitatis.

2. Gorgias, Leontinus (nihilista), Socratis coaetaneus. Docebat, aut nihil existere aut si existit, cogitari non posse; deberet enim cogitari tamquam aeternum et consequenter etiam infinitum, indeterminatum; sed tamquam infinitum et indeterminatum nullibi esset in spatio, ergo generatim non esset. Si aliquid in tempore existens cogitaretur, deberet hoc ortum esse et quidem ortum e nihilo, sed e nihilo non est nisi iterum nihil; vel vero deberet ante aeternum iterum aeternum cogitari et esse, quod est impossibile.

B. Philosophia socratica — attica.

Decursu temporis Athenae centrum factae sunt omnium maiorum scholarum philosophicarum. Anaxagoras introduxit scientiam ionicam, Parmenides et Zeno eleaticam, Heraclitus denique et Pythagoras inibi per discipulos suos innotuerunt. Verum quidem est, per methodum sophisticam confusionem in rebus philosophicis causatam fuisse, nihilominus Athenis occasio optima praebebatur, totam philosophiam graecam cognoscendi et in arte

dialectica se exercendi. Eo tempore prodiit Socrates, philosophiae graecae regenerator celeberrimus. Dum enim omnes philosophi ante Socratem considerationi naturae operam navarent, Socrates fundamentum philosophicae speculationis posuit sui cognitionem, praeprimis cognitionem propriae animae; deinde hominis moralem educationem et transcendentalium investigationem. Socrates nullum scriptum reliquit, totam enim vitam cum suis discipulis conversando et eos docendo consumavit. Discipuli doctrinam eius consignarunt, novis ideis locupletarunt vel etiam corruperunt. Hisce conformiter sermonem de Socrate et eius doctrina, de minoribus scholis socraticis et de scholis socraticis maioribus instituemus, quo transitus patebit ad statum philosophiae graecae decrescentem.

§ 8. De Socrate et eius doctrina.

Socrates natus est anno 469 a. Ch. Athenis. De iuventute eius pauca nota sunt. Fontes, e quibus historia vitae eius hauriri potest, sunt scripta Platonis, optimi eius discipuli, et narratio Xenophontis. Conversatus est cum omnibus viris peritissimis, qui tempore Periclis Athenis vixerunt. Musicae, physicae, rhetoricae et philosophiae fuit peritissimus. Quibus magistris usus sit, certo dici non potest, constat tamen, doctrinas Anaxagorae, Parmenidis, Heracliti, praeprimis autem Archelai valde sibi familiares fuisse. Pater eius erat lapidarius et Socrates ipse hanc artem didicit a patre, sed non diu exercuisse videtur. A re politica se abstinuit. Neminem alliciebat, ut discipulus eius fieret, sed publice in foro docens, omnes gratis ad institutionem suam admittebat. Vixit moderate, paucissimis contentus. Gravitate morum et humanitate multorum animos sibi conciliavit, ita ut maxima pars civium Atheniensium institutione eius usa sit. Accusatus, acsi deos patrios despiceret, ad venenum sumendum condemnatus est. Etiamsi fuga se salvare potuit, despexit medium hoc et quum praeclare se a crimine sibi imputato coram discipulis defendisset, venenum bibit, post mortem a discipulis encomiis magnis celebratus (an. 399 a. Ch.). Plus charactere docuit quam systemate philosophico. Doctrinam suam fere totam ad ethicam reduxit, quae tamen coelo differt ab ethica christiana. Socrates erat totus quantus Graecus et solummodo Graecos, in specie Athenienses, instituere voluit. Limites urbis patriae non est transgressus. Doctrina eius erat particulariter nationalis, doctrina Christi universalis. Etsi credidisset, unum esse verum Deum, tamen publice hoc docere non

est ausus (Xenoph. Memorab. IV. 3.); Christus e contra docuit tamquam potestatem habens, docuit usquemodo inaudita, quae ipse non didicit; mors Socratis — erat mors sapientis, mors Christi — mors redemptoria Filii Dei. Blasphemum est propterea, Iesum Christum cum Socrate comparare, sicut rationalistis placuit (cf. Lasaul, Socrates und Christus 1858 et alios). Doctrina Socratis, a Platone et Xenophonte tradita, sequentibus breviter absolvi potest:

a) Res diiudicari debent secundum communem rationem humanam, quia rectus cogitandi modus singuli hominis simul est rectus cogitandi modus omnium hominum. Quapropter philosophia a cognitione sui ipsius incipere debet, ut perveniat ad cognitionem rationis universalis. Inde principium fundamentale: *γνῶθι σεαυτόν*. — Virtus est modus recte agendi secundum rationem universalem et potest discendo acquiri.

In morali et theologia sequitur principia theologiae naturalis: Existit unus Deus, remunerator boni et vindex mali, gubernator mundi; anima est immortalis; beatitudo hominis consistit in sapientia, qua Deo similes efficimur, non autem in bonis huius mundi.

b) Usus est methodo inductiva: Incipiendo a rebus concretis, obviis, inducebat interrogando et disputando colloquentem ad removendas rei proprietates accidentales, usque dum formatus fuerit conceptus universalis, quem definiendo stabilivit. Quae methodus heuristica nomine eius „socratica" est appellata.

c) Socrates saepe loquitur de daemonio, quod eum admonet et de bonis et malis edocet. Hoc daemonium alii putabant fuisse spiritum malum, alii vero angelum custodem, alii denique rationem eius propriam, quae sine passione cognitioni intendebat. Socrates illud ad finem vitae pro Divino habuisse fertur. Sine dubio intelligenda est conscientia, in homine naturaliter bono et honesto se manifestans.

§ 9. Scholae socraticae minores.

1. Schola Cyrenaica seu hedonica, ab Aristippo, Cyrenaeo, fundata. Summa doctrinae eius est: Felicitas consistit in voluptate et in tali praesente sensationum fruitione, quae voluptatem parat. Bonum est idem ac amoenum vel voluptas, malum e contra idem ac inamoenum; quod neque voluptatem parat neque taedium, est neque bonum neque malum. Fruitio tamen ratione moderari debet. Optima ars vivendi est: uti rebus

praesentibus sine respectu ad ea, quae fuerunt vel forsan futura sint. Sed etiam sequelae actionum sunt respiciendae; reprobanda est actio, si plus taedii quam voluptatis ex ea sequitur; propterea sapiens ab actionibus abstinebit, quae legibus civilibus aut opinione publica pohibentur. Non dominatur voluptati, qui ea non utitur, sed qui ea ita utitur, ut ei non serviat. *Ἔχω οὐκ ἔχομαι* debet esse principium morale sapientis.

Discipulus Aristippi Theodorus existentiam deorum et legis moralis negavit, imo affirmare ausus est, felicitatem in voluptate perpetua (*χαρά*) consistere. A Graecis nomen atheistae (*ἄθεος*) accepit.

2. Schola cynica, cuius auctor Antisthenes; nomen habet vel a Cynosargo, gymnasio, in quo Antisthenes docebat, vel a disphemo *κύων*, quia discipuli huius scholae ad instar canum latrantium mores sine discrimine carpebant, vel denique a vitae ratione, quae cum nimis naturae conformis esset, taedio coaevos afficiebat.

Antisthenes fuit discipulus Socratis et docuit, virtutem unice esse aestimandam; divitias, honores, imo ipsam bonam famam et formas vitae socialis esse despiciendas et vitam iuxta naturam instituendam. Habitu mendici incedens, principia haec et practice praedicavit. Diogenes Sinopensis, vir ingenii singularis, erat discipulus eius. — E Romanis ad scholam cynicam pertinebat Crescens, qui Marcum Aurelium ad persecutionem Christianorum instigabat.

3. Schola Megarica, ab Euclide Megarensi denominata. Euclides doctrinam Socratis cum Parmenidis placitis permiscens docuit: Verum bonum philosophice spectatum unicum esse et hoc est aut Deus aut ratio aut intelligentia. Bonum unice est ens, et omnia, quae ipsi opponantur, sunt non-entia.

Cum Eubulide, praecipuo discipulo suo, in disputando sophismatibus usus est et propterea schola eius nomen „litigiosae", „eristicae" hereditavit. Ab eo descendunt syllogismi: electra, sorites, cornutus et syllogismus crocodili. E schola Megarica prodiit Phaedo ex Elia, cuius nomine insignitus est unus optimorum dialogorum Platonis.

§ 10. Scholae socraticae maiores.

Scholae socraticae maiores nomen acceperunt a copiosa doctrina philosophica, a magno numero discipulorum et a gravitate, qua in novis systematibus philosophicis formandis semper

gaudebant. Dividuntur in scholam Platonicam vel Academiam et in scholam Aristotelicam, Lyceum vel Peripateticismum.

I. Plato.

Plato Athenis natus anno 428 vel 427 a. Ch., erat filius Aristonis. In iuvenili aetate poësiae vacabat, inde stylus eius poëticus. Propter vocis debilitatem ad artem oratoriam minus aptus, disciplinis philosophicis operam navabat et a Cratylo Heracliti doctrinam didicit. Anno aetatis suae vigesimo Socratis discipulus factus est et ipsi addictissimus mansit usque ad mortem eius. Postea cum ceteris Socratis discipulis Megaram petiit et ibi Euclidem audivit, denique nonnullis aliis itineribus susceptis, de quibus non satis historice constat, 40 annos natus rediit Athenas, ubi anno 387 vel 386 scholam philosophicam „Academiam" fundavit. Mortuus est annos 81 natus an. 348 vel 347 a. Ch. Athenis.

Plato usus est scribendi methodo dialogica, unde opera eius nomen dialogorum habent. De numero eorum non constat ex omni parte. Secundum criticam historicam recentiorum authentici sunt: Phaedo, Phaedrus, Convivium, Gorgias, Meno, Hippias, Theätet, Menexenus, Philebus, Sophista, Lysius, Laches, Protagoras, Euthydemus, Cratylus, Apologia Socratis, Timaeus, Politicus, Respublica; ex parte etiam Liber de legibus et quidam minores dialogi ethici. Socrates in iis valde celebratur et inter personas ibi descriptas primum occupat locum. Propter stylum sublimem, formam dialogicam et multitudinem personarum, quae loquentes inducuntur, systema philosophicum completum e dialogis eruere est difficillimum.

Philosophiam Plato dicit (Respubl. I., 6) esse scientiam de vero ente. Verum ens sunt solae ideae. Propterea secundum Platonem philosophia scientia est de ideis tamquam de vero ente.

Ideae sunt imagines exemplares a materia abstractae, individuae, quae in Deo ante res singulas existunt. In se spectatae exprimuntur verbis *ἰδέα, εἶδος;* si autem spectantur in relatione ad res singulas, nominantur *παραδείγματα.* Res singulae sunt ectypa harum idearum: *εἴδωλα.* Imagines rebus realiter insunt, quod Plato verbo *παρουσία* significat. Ideae sunt aeternae, increatae, in spiritu supremo semper praesentes, sunt prototypa, in quibus Deus in creatione res singulas considerabat; sed ideae non sunt divinitas ipsa.

Cognitio non est nisi reminiscentia prototyporum in spiritu divino, ubi anima ante nativitatem hominis commoratur. Cognitio est duplex: sensitiva (*δόξα*) et intellectiva (*νόησις*). Prima est

iterum aut repraesentatio (*εἰκασία*) aut fides (*πίστις*), secunda est aut cognitio mathematica (*διανοία*) aut cognitio transcendentis, essentialis et permanentis (*ἐπιστήμη, νοῦς, νόησις*). Ideae eminentes sunt idea boni et pulchri. Utrum bonum pro Divino habuerit vel non, e scriptis eius certo cognosci non potest. Deum tamen vocat bonum summum et fontem boni et pulchri.

In Logica incipit ab inductione et definitione, quas formas iam Socrates explicavit, sed adiungit divisionem et deductionem, quas omnes formas non solum, prout Socrates, ad problemata ethica adhibet, sed ad omnem speculationem philosophicam cum magna sagacitate et acribia.

Ens est directivum omnis cognitionis nostrae (Cratyl. p. 385 B.: *λόγος-ὃς ἂν τὰ ὄντα λέγῃ, ὡς ἔστιν, ἀληθής, ὃς δ'ἄν, ὡς οὐκ ἔστι, ψευδής*). Logicae officium est: dispersa considerando in unam formam componere, ut quodlibet accurate determinari posset (Phaedr. p. 265: formatio conceptus per abstractionem et definitionem), hac via usque ad conceptus supremos et absolutos ascendere (de Republ. lib. VI. p. 54); deinde a supremis per divisionem ad inferiora descendere et per deductionem ultimas consequentias exinde deducere (Phaedo 101). Conceptibus rite formatis respondent ideae, quae sicut conceptus ab inferioribus ad conceptum supremum, scil. boni, ascendunt (Respubl p. 509). Mathematica incipit a principiis, quae non sunt suprema et deducit ex eis singularia; dialectica ab iisdem principiis incipiendo, in partem oppositam ad principia idealia suprema ascendit, ex quo patet, mathematicam in medio esse inter cogitare pure ideale et inter apprehensionem sensitivam. Plato logicum a metaphysico nondum dividit, sed utrumque coniungit et de utroque simul tractat. Quia certitudinem cognitionis solummodo ideae praestant, constituunt unicum obiectum scientiae. Sensitiva cognitio dirigitur ad singulare et mutabile, qua ratione conceptus formantur, qui tamen nullam certitudinem sed solummodo probabilitatem suppeditant.

In Ontologia vere ens secundum varias relationes pertractat, disserens de essentia, substantia, unitate, multitudine, finito et infinito et de variis causis.

In Theologia naturali affert duo argumenta pro Dei existentia in Phaedro, Philebo et Timaeo: argumentum cosmologicum, in quo e motione in mundo ad primum motorem immotum concludit et argumentum physicotheologicum, quo probat, formationem materiae iuxta formas prototypas formatorem ratio-

nalem efficientem postulare. Deum docet esse immutabilem, perfectissimum, liberum, incorporeum, omnipotentem, supremum legislatorem et gubernatorem mundi, fontem omnis veri, boni et pulchri, summam intelligentiam, ens per eminentiam: *ὄντως ὄν*.

M u n d i fabricator Deus est, qui omnia pro bonitate sua ex aeterna informi materia secundum aeternam ideam exemplarem produxit. In Timaeo narratur, Deum primo animam mundi, constantem ex idea et *ὕλη* formasse, eandem postea in universo ad instar crucis extendisse, denique super eam corpus mundi globosum ita posuisse, ut terra in medio universi axi (*ἠλακάτη*) transfixa quiesceret, circa quam firmamentum semel 24 horis rotaret. Mundus est temporalis et optimus, quia perfecte suam ideam exemplarem repraesentat. Materia constat ex igne et arrida, quia absque igne nihil videri, sine arrida nihil palpari potest; utrumque elementum duobus aliis affinibus, aëre et aqua, copulatur.

In P s y c h o l o g i a triplicem speciem animarum distinguit: animam mundi, animam animalem et humanam. Anima humana originem habet ex Deo, sed mediante anima mundi. Constat non solum ex elemento divino, sed aliquid materiae sibi admixtum habet, ut sentire posset, qua ratione et malum explicatur. Anima est motor corporis, non autem forma substantialis. Est aut rationalis (*ψυχή λογιστική*) aut irrationalis (*ψυχή ἄλογος*). Irrationalis est aut irascibilis (*τὸ θυμοειδές*), cuius organum cor est, aut concupiscibilis (*τὸ ἐπιθυμετικόν*), cuius organum sunt intestina. Organum animae rationalis est cerebrum. Anima irrationalis creata est a diis inferioribus, est mortalis, corpori alligata, vi aestimativa instructa et animae rationali persaepe inimica, unde Plato (in Phaedro et Phaedone) contra materialistas sui temporis discrimen qualitativum inter corpus et animam hominis probat. Anima rationalis a corpore separari potest et est immortalis. Immortalitatem animae demonstrat ex eius participatione simplicium idearum divinarum, quae sunt immortales; ex participatione ideae vitae, quae non perit; e bonitate divina, quae non admittit, ut anima destruatur; ex inaequali sorte in hoc mundo, quae retributionem post mortem expostulat (Phaedo, Phaedrus). In vita anteacta animae humanae communione deorum fruebantur, sed propter quandam culpam commissam in corpora tamquam in carceres detrusae sunt. Animae bonae post mortem ad communionem deorum admittuntur, malae in tartarum ad poenas aeternas damnantur; maculatae metempsychosim subire debent, ut purgentur.

Lex principalis E t h i c a e Platonicae est, ut homo Deo similis fiat et prouti Deus nihil aliud praestitit, nisi quod imagines exemplares realisavit, ita et homo debet dilectionem rerum huius mundi dilectioni boni absoluti subjicere, a sensualitate ad puram idearum contemplationem se elevare, quod in hac vita fit per philosophiam, perfecte tamen fiet demum post mortem. Ut hic finis obtineatur, anima rationalis in omnibus irrationali dominari debet. Quae dominatio tamquam status perseverans virtus est, contrarium vero vitium. Existunt quatuor virtutes cardinales. In anima rationali dominari debet sapientia (*σοφία*), in irascibili fortitudo (*ἀνδρία*), in appetibili prudentia (*σωφροσύνη*), sed omnes coniungere et dirigere debet iustitia (*δικαιοσύνη*), quae si recto erga Deum agendi modo se prodit, sanctitas (*ὁσιότης*) vocatur. Medium ad virtutem acquirendam est ascesis, exercitatio animi et etiam studium mathematicae, quia per mathematicas explicationes animus humanus considerationi idearum et rerum divinarum assuescit. Quamobrem academiam suam inscriptione: *μηδεὶς ἀγεομέτρης εἰσίτω* signasse fertur.

Quoad P o l i t i c a m supremum proclamavit principium: bona individualia communi bono reipublicae esse postponenda; a qua lege unice religionis exercitium exemit. Forma reipublicae aristocratica optima sibi videtur (Respubl. IV. 445) et dicit, eam esse principatum virtutis et intelligentiae, qui aut ab uno aut a paucis exerceri queat. Aristocratia debet illimitata esse, ita ut iura singulorum a iuribus regnantis totaliter dependeant. In republica existunt tres classes hominum, quae conformes sunt tribus partibus animae humanae. Rationali anima (*ψυχὴ λογιστική*) eminenter instructi sunt regnantes (*ἄρχοντες*) seu magistratus, qui sunt simul magistri; animae irascibili conveniunt custodes, milites (*φύλακες*), appetibili agricolae, operarii (*γεωργοὶ καὶ δημιουργοὶ* Respubl. III. 415, *δῆμος* l. c. V. 463). Vulgus tum a regimine cum a defensione reipublicae excluditur, ex altera parte agricultura et artes operariae primis duabus tribubus tamquam vulgares stricte prohibentur; imo iam prima conditio harum negotiationum, bonum scilicet privatum, interdictum; regnantes et custodes toti quanti bono communi se devovere debent, ipsi ab operantibus sustentantur et aluntur in communibus habitaculis. In republica nemo limites sphaerae alterius transgrediatur, quilibet officia stricte sua adimpleat; in hoc consistit iustitia in republica (*οἰκειοπραγία* Respubl. IV. 427). Finis reipublicae est, ut omnes bonum commune promovere studeant et se ipsos et alios ad

dilectionem summi boni absoluti gradatim dirigant. His principiis universalibus, certe non despiciendis in genere, in specie Plato abusus est ita, ut non solum communitatem bonorum sed etiam uxorum docuerit (Respubl. IV. 423). Reipublicae esse non solum numerum liberorum determinare, qui procreari possint, sed etiam aetatem parentum, in qua hoc fieri debeat; reipublicae esse statuere, quae personae matrimonium inire debeant; liberos statim post nativitatem a republica esse suscipiendos, publicis institutis ad alendum tradendos et curandum esse, ne liberi parentes et parentes liberos aliquando cognoscant (Respubl. V. 460 B et seq.); varia media adhibenda esse, ut ex aptis plurimi, e minus aptis paucissimi conserventur (l. c. V. 457 C.); imo Plato suadet, ut infantes debiles exponantur et fructus matrimonialis coniunctionis a republica non imperatae deleatur vel removeatur (l. c. V. 460 D.. 461 C.). Educatio liberorum est ex omni parte publica; statum non sibi ipsi eligunt, neque parentes eum determinant, sed magistratus eos classibus inserit, ad quas secundum characterem et dotes plus apti videntur (l. c. III. 413 sqq.). Secundum principium Socratis, dotes morales in utroque sexu easdem esse, postulat, ut mulieres educatione virorum, re militari et regimine participent. Qui in classem mediam redigendi sunt, praesertim in gymnastica et musica, classi regnantium applicandi in philosophia et mathematica exerceri debent. Classis infima ab instructione est excludenda et sibi ipsi relinquenda.

Mortuo Platone schola eius divisa est in veterem et novam Academiam, quae mox ab invicem discrepabant. Academia vetus doctrinam magistri purissime conservavit. Moderator eius erat Speusippus, Platonis nepos, vir magni ingenii, sed morum corruptorum. Heraclitus, ex Ponto oriundus, qui ex hac schola prodiit, circa saec. 4. a. Ch. n. quotidianam terrae rotationem docuit.

Academiam mediam fundavit Arcesilaus (315--241 a. Ch.), cuius effatum: „unum scio, quod nihil scio“, scholam eius prout et Academiam novam, a Carneade Cyrenaeo (214—129 a. Ch.) conditam, tamquam scholas scepticas characterisat.

2. Aristoteles.

Aristoteles „Stagirita“ anno 384 a. Ch. natus, erat filius Nicomachi, medici Stagirae in Thracia. In aetate iam iuvenili physicis scientiis occupabatur, verosimiliter patre suo movente. Duodeviginti annos natus Athenas venit et Platonis discipulus

per 20 annos mansit. Magistro mortuo, an. 343 ad aulam regiam macedonensem vocatus, inibi 13 annos magister et educator fuit Alexandri Magni. Quum hic regni gubernacula suscepisset, Athenas migravit et in Lyceo, suburbano gymnasio, scholam condidit, quae nomen scholae peripateticae accepit, quia Aristoteles plerumque in porticu lycei deambulans, docere solebat. Aeque ac Socrates impietatis (*ἀσέβεια*) accusatus, Athenas reliquit, Chalcidem in Euboea secessit, ubi paulo post an. 322 a Ch. obiit, 63 annos natus.

Aristoteles ad praestantissima ingenia antiquitatis pertinet et acuitate mentis et universalitate speculationis philosophicae vix eum aliquis usque ad diem hodiernum exaequavit. Ipse pater scientiae logicae merito appellatur; methodum inductivam inauguravit et etiam practice eam saepius et efficacius adhibuisset, si sibi praesto fuissent instrumenta experimentalia temporis nostri, quorum ope subtiliorem scientiam naturae acquisivisset. Usus est Platone, sed plus, quam hic, methodum inductivam adhibuit.

Principium, a quo omnis cognitio intellectiva incipere debet, est experientia: „Nihil in intellectu, quod prius non fuerit in sensu“. Ubi non adest sensus pro certis sensationibus, neque adesse potest scientia obiectorum, quae tales sensationes causant. Plato ab universali — idea — incipiebat et ex eo singulare deducere et explicare conabatur, Aristoteles incipit ab experientia, quae cognitionem individualium suppeditat, et ascendit ad cognitionem universalium. Ipsi universalia non sunt realitates supra rebus existentes, prout Platoni, sed sunt quoad argumentum obiective et realiter quidem in rebus, attamen quoad universalitatem solummodo in spiritu cogitante existunt, qui ea, quae in rebus aequalia sunt, de iis universim praedicat.

Fontes cognitionis sunt sensus et intellectus. Sensu apprehendimus singulare *τόδε τι* vel *οὐσίαν πρώτην*. In singulis rebus corporalibus percipimus aliquid indeterminati, substratum quoddam, materiam (*ὕλη*), et aliquid, quo res ab aliis rebus distinguuntur et tamquam individua determinantur, formam (*εἶδος, μορφή*). Illi „*οὐσίᾳ πρώτῃ*“ in re respondet *οὐσία δεύτερα* in intellectu, essentia rei, quae iterum constat ex indeterminato elemento materiae et determinante principio formae. Si cogitamus, quaerimus, quid res sit in se, *τὸ τί ἦν εἶναι*, quaerimus rei quidditatem et ad *οὐσίαν* rerum pertingere cupimus. Deinde *οὐσίας* rerum singularum ad invicem comparamus et si eas communes invenerimus, studemus eas conceptu universali comprehendere et exprimere. Conceptus determinatio vel expositio est definitio.

Quod in conceptu indeterminatum est et multis competit, est genus; determinans, quo res ab invicem differunt, est differentia; genus cum differentia constituunt speciem. — Existunt decem suprema genera: substantia (*οὐσία*), quantitas (*πόσον*), qualitas (*ποιόν*), relatio (*πρός τι*), ubi (*ποῦ*), quando (*ποτέ*), situs (*κεῖσθαι*), habitus (*ἔχειν*). agere (actio) (*ποιεῖν*). pati (passio) (*πάσχειν*) Vocantur categoriae vel praedicamenta Si duo conceptus dividuntur vel coniunguntur, oritur iudicium. E duobus iudiciis tertium — conclusio — derivari potest. Si concluditur ab universali ad particulare, oritur syllogismus; si a particulari ad universale proceditur, inductio. Aristoteles e maxima parte quidem solos syllogismos categoricos pertractat, sed nihilominus etiam sophismatum et enthymematis, epicherematis, syllogismi probabilis et analogi mentionem facit. Exponit porro demonstrationis theoriam et suprema principia intelligendi (*ἄρχαι*): principium contradictionis et exclusi tertii, ostendendo, ea non solum in logica sed etiam in metaphysica valere. Haec doctrina logica proponitur in scriptis: *α*) *περὶ κατηγοριῶν*, ubi de formis conceptuum tractatur, *β*) *περὶ ἑρμηνείας* (de interpretatione), ubi iudicium, *γ*) *ἀναλυτικὰ πρότερα*, libri duo, ubi conclusio, *δ*) *ἀναλυτικὰ ὕστερα*, libri duo, ubi demonstratio, definitio, divisio et cognitio principiorum, *ι*) *τοπικά*, libri octo, ubi demonstratio probabilis, denique *κ*) *περὶ σοφιστικῶν ἐλέγχων*, ubi sophismata eorumque solutio exponuntur.

Ceteram eius philosophiam continent alia opera, inter quae sunt notatu dignissima: *πρώτη φιλοσοφία* (metaphysica), *τὰ περι φύσεως* (physica), *περὶ ψύχης* (de anima, psychologia), *ἤθικα Νικομαχεῖα* (ethica Nicomachi), *πολίτικα* et *πολιτεῖα* (politica).

Philosophiam dicit esse scientiam per eminentiam, reginam scientiarum, ad quam omnes aliae scientiae pertinent. Ipse eam quidem stricte loquendo non dividit, sed iuxta ordinem, quo eam pertractat, rite ad mentem eius dividi potest in theoreticam et practicam. Theoreticae praeposuit Logicam, sequitur Physica et Metaphysica; practicam dividere licet in Ethicam et Politicam.

a) Physicae et Metaphysicae summa est: Mundus tribus principiis, quatuor causis, quatuor elementis et motione explicari posest.

Tria principia corporum sunt: materia, forma et privatio. Ea sunt conditiones essendi rerum et tamquam causae etiam existendi. Ad materiam (*ὕλη*) accedit forma (*μόρφη*, *εἶδος*) et

oritur substantia, essentia concreta. Negatio formae debitae vocatur privatio (*στέρησις*). In re aliqua materia per se spectata est potentialitas (*δύναμις*), forma — actualitas (*ἐντελέχεια*) illius rei. Materia existens sine forma cogitari non potest. Materia sine omni forma concepta vocatur materia prima (*ὕλη πρώτη*), quae, quum sit mera potentialitas, realiter non existit. Ab actualitate (*ἐντελέχεια*) secernenda est *ἐνέργεια*, substantiae facultas operandi.

Causae dividuntur in causam materialem, formalem, efficientem et finalem.

Elementa mundi constitutiva, sicut iam Plato docuit, dicit esse: aridam et ignem, quae copulantur invicem aqua et aëre, elementis affinibus.

Motionem non intelligit motionem localem tantum, sed quamlibet mutationem, transitum e potentia in actum, incrementum et decrementum, alterationem et conversionem, generationem et corruptionem.

Quum materia sit substratum rerum omnium, debuit ante omnes res esse, non ergo est orta; sed materia sine forma esse non potest, erat ergo materia iam cum forma ante omnes res, i. e. mundus non habet initium; sed neque finem habet, quia materia manet et solummodo formae immutantur. In mundo adest unitas essentialis, quia materia prima una est. Existit Deus, primus motor immobilis (*πρῶτον κινοῦν ἀκίνητον*). Motum, i. e. transitum e potentia in actum causare potest tantummodo, quod iam actuale est. Debet ideo assumi aliquid, quod mundum e potentia in actum deduxit. Hoc primum immobile debet esse actus purus, entelechia aeterna; si enim aliquando e potentia in actum transiisset, assumi deberet principium, quod illum transitum causavit et sic porro, denique perveniri debet ad primum motorem immobilem. — Deus debet esse simplex, quia actus purus compositionem e materia et forma excludit; debet item esse immutabilis et indelebilis. Existit tantum unus Deus; principium pluralitatis fundatur in materia communi, quae per formas in res diversas determinatur; sed a Deo compositio materiae et formae excluditur, ideoque excluditur et pluralitas deorum: substantia divina unica est. Quum „cogitare“ transitum e potentia in actum praesupponat, non potest Deus cogitare et intelligere sicut homines, sed est intelligentia ipsa et quidem pura intelligentia, pura vita. In Deo subiectum intelligens ab obiecto intellecto non est discretum, est enim ipse *νόησις νοήσεως*, absoluta unitas intelligentis et intellecti. Deus est sibi sufficiens, et quum

se cognoscat et consideret, per se felix est. Deus movet mundum, in quantum omnia ipsum tamquam summum bonum appetunt, ut perfectione eius participent. Quae motio secundum rerum varietatem varia est, sed omnes res ad illud immobile tendunt tamquam ad finem; ipsum enim cognitum et amatum omnia movet (*κινεῖ οὐ κινούμενον, κινεῖ δε ὡς ἐρώμενον* Metaph. XII. 7. 1072 b, 3). Deus non operatur, ipsi *πράττειν* vel *ποιεῖν* sensu nostro non competit. Est forma absoluta et prout forma materiam, — sic Deus mundum movet, ut e potentia in actum se evolvat. Haec unica est Dei in mundum operatio; operatio in mundum directa nec non mundi a Deo creatio ex operibus Aristotelis, etsi hoc nonnulli (Brentano, Knauer) tentassent, nullo modo demonstrari potest (Stöckl, Zeller). — Motio mundi est aeterna, continua, localis ideoque circularis. Firmamentum movetur a Deo, planetae a propriis motoribus, qui sunt purae entelechiae. In medio planetarum est terra, in qua homo per suum intellectum (*νοῦς*) puris entelechiis in planetis correspondet. Natura gaudet vi plastica, qua gradatim plantae, animalia et homo evolvuntur.

b) Anima humana est forma vel entelechia vitae physico-organicae (*ἐντελέχεια πρώτη σώματος φυσικοῦ ὀργανικοῦ; „περὶ ψύχης“* lib. 2. c. 1., 11.). Est principium movens in homine. In anima plantarum vita tantum vegetativa, in anima animalium etiam organica adest. Anima humana praedita est quinque potentiis: potentia vegetativa (*τὸ θρεπικόν*), appetitiva (*τὸ ὀρεκτικόν*), sensitiva (*τὸ αἰσθητικόν*), motiva (*τὸ κινητικόν*) et intellectiva (*τὸ διανοητικόν*). Quatuor priores potentias etiam animal habet, potentia vero intellectiva homo ab animali differt. Potentia appetitiva est aut concupiscibilis aut irascibilis, quatenus simpliciter ad bonum tendit vel etiam impedimenta, quae assecutioni boni obstant, removere studet. Potentia sensitiva dividitur in potentiam apprehensivam (*αἴσθησις*), in phantasiam (*φαντασία*), memoriam et reminiscentiam (*μνῆσις καὶ ἀνάμνησις*). Intellectus est activus (*νοῦς ποιητικός*), qui phantasmata per sensationem suscepta illuminat et intelligibilia facit, et passivus (*νοῦς παθητικός*), qui formas abstractas, illuminatas et intelligibiles factas suscipit. — Ratio (*διανοία*) componit ideas formando iudicia et conclusiones. Ab intellectu solummodo logice differt. Quomodo *νοῦς* cum anima vegetativa-sensitiva cohaereat, nullibi Aristoteles clare docet. Philosophi christiani secundum eum docent, *νοῦς* ab anima vegetativa-sensitiva separatum non existere, sed cum ea formam hominis substantialem esse.

Quare anima substantia incorporea esse debet, quia intellectus incorporeus solummodo iterum incorporeae substantiae inhaerere potest. Fatendum tamen, Aristotelem docuisse, illud „*νοῦς*“ aliquid supra *ψυχήν* esse; *ψυχήν* per semen a parentibus ad liberos traduci et *νοῦς* tunc demum accedere; quo modo id fiat, nullibi ostendit, neque explicat, qua ratione unitas animae et vitae eius, quam tamen defendit, consistere possit. Aeque inclara est doctrina eius de immortalitate animae. Docet, animam vegetativam-sensitivam cum corpore obire, sed intellectum activum (*νοῦς ποιητικός*) manere. Utrum autem vivat individualiter, secundum Aristotelem dici non potest, docet enim tantum intellectus agentis perdurationem, sed vitae individualis et personalis proprietates ei non attribuit. Ceterum Aristoteles de felicitate post mortem vel de retributione nullam mentionem facit. In hac re postponendus est Platoni, qui immortalitatem animae non solum expresse docuit, sed et demonstrare studuit.

c) In Ethica Aristoteles virtutem dicit esse habitum acquisitum in bono. Consistit autem in servanda medietate inter excessum (*ὑπερβολή*) et defectum (*ἔλλειψις*); finis moralitatis est felicitas (*εὐδαιμονία*), quae obtinetur, si ratio ad bonum summum tendit et simul apta media adhibet, ad hoc summum bonum assequendum. Quod summum bonum non est supremum absolutum bonum Platonis, sed tantum relative summum bonum pro hominibus in vita terrestri. Felicitas non consistit in vita inerti, sed in activitate, dotibus individualibus conformi. Virtutes dividit in ethicas, quarum sedes est pars animae irrationalis, potentia appetitiva, et dianoëticas, quae ad partem rationalem pertinent. Cardinales virtutes ethicae sunt: fortitudo (*ἀνδρεία*), temperantia (*σωφροσύνη*), liberalitas (*ἐλευθεριότης*), magnificentia (*μεγαλοπρέπεια*), magnanimitas (*μεγαλοψυχία*), honoris amor (*φιλοτιμία*), patientia (*πραότης*), veracitas (*ἀλήθεια*), eutrapelia (virtus bene conversandi), affabilitas (*φιλία*). Virtutes dianoëticae sunt: ars (*τέχνη*), prudentia (*φρονσύνη*), intelligentia (*νοῦς*), scientia (*ἐπιστήμη*), sapientia (*σοφία*).

Ars perficit naturae imperfectum et imitatur naturam, quod non debet fieri serviliter, sed modo nobiliori. Finis *τέχνης* est delectatio et educatio moralis (*πρὸς ἀρετὴν παιδεία*), ad quod etiam tragoedia inservire debet, quam Aristoteles in „poëtica“ fuse pertractat.

d) Politica ad ethicam pertinet; officium reipublicae est, felicitatem civibus comparare et propterea omnes se absolute reipublicae subiicere debent. Republica maxime interest, ut bonos

habeat cives, propterea educatio ad rempublicam pertinet. Nihilominus familia non est destruenda, quia prius aderat, quam respublica, sed iura eius limitanda sunt. Numerus liberorum ita restringi debet, ut maximum statuatur, ultra quod non liceret liberos conservare. Infantes defectibiles exponendi sunt, supernumerarii et ii, quorum parentes aut nimis iuveniles aut iam aetate provectiores sunt, debent in semine destrui, quod licitum esse putat propterea, quia quod nondum vivit, neque ius aliquod habet (Polit. VII, 16.). In educatione primum occupat locum institutio moralis, deinde scientifica. Iam in prima aetate parentes curare debent, ut liberi corpus sufficienter alant, ludos et gymnasticam exerceant et narrationibus congruis vires animae intendant; curae servorum rarissime tradi debent; sermones et imagines indecentes severe ab eis removeantur, quum talia generatim admitti non debeant (Polit. VII, 17.). Anno aetatis septimo tradantur educationi publicae, quae usque ad annum 21 perdurare debet. Instruendi sunt in gymnastica, grammatica, musica et in arte scribendi et pingendi. Finis educationis est virtus.

Servitus non est tantum licita, sed fundatur directe in iure naturae; nam qui non est aptus ad intelligentiam sed ad obediendum, tali melius est, ut sit servus quam liber, quia libertas ipsi magnum esset incommodum. Servus est instrumentum domini sui, qui eum quidem humaniter tractare debet, sed si hoc non facit, nullam infert servo iniuriam, quia servus omni iure caret. Optima reipublicae constitutio est monarchia; pessima autem tyrannis. Ceterum ea constitutio eligenda est, quae bono communi optime conducit.

Mortuo Aristotele directionem scholae suscepit Theophrastus Lesbius, qui eam 32 annos tam felici successu administravit, ut, quum lyceum discipulos capere non potuisset, nova schola aedificata sit. Theophrasto successerunt Strato, Lyco, Aristo et Critolaus, qui tamen in doctrina magistri plura innovarunt.

Caput II.

Status decrescens philosophiae graecae.

Quum post pugnam apud Chaeroneam (338 a. Ch.) libertas et independentia Graecorum defecisset, etiam speculatio philosophica decrescere coepit. Quilibet enim suas res secundas procurare studebat et propterea studiis philosophicis in tantum occupabatur, in quantum sibi viam ostendebant, qua propriam felicitatem procurare posset. Inde philosophia plus ad fines practicos applicabatur, quam theoretice tractabatur. Hac ratione iam Stoici procedebant et multos sectatores tum apud Graecos cum apud Romanos nacti sunt.

§ 11. Stoicismus.

Stoici nomen acceperunt a στοᾷ, porticu Athenis, in quo Zeno, Stoicorum auctor, disputare et docere solebat.

1. Zeno c. an. 250 a. Ch. in insula Cypro urbe Cittione natus, anno aetatis tricesimo Athenas venit; primum scholae cynicae sectator, postea alios philosophos audivit, usque dum propriam scholam e maxima parte fines ethicos prosequentem fundavit, quam 61 annos direxit. Athenienses momentum ei posuerunt, cui inscripta erant verba: „Doctrina eius erat vitae eius conformis“. Philosophiam dividit in Logicam, Physicam et Ethicam.

In Logica exclusive insistit principio: „Nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu“ et docet, animam esse tabulam rasam, cui ad instar tabulae cereae sensationes imprimi debent; ex his sensationibus intellectus ideas et conceptus abstrahit, quibus tamen obiective solummodo res singulares correspondent. Consequenter solas substantias corporeas admittit et obiectivam realitatem universalium negat. Existunt quatuor tantum suprema genera (categoriae): substantia, proprietas essentialis, quantitas et proportio. Criterium veritatis sensationum et conceptuum constituit claritas impressionum sensitivarum, qua intellectus aptus efficitur ad repraesentationes, a subiectiva operatione animi et a phantasmatibus discernendas. Quia existentiam substantiarum corporearum defendit, reiicit theoriam Democriti de imaginibus a rebus separatis, quae nostram sensitivam apprehensionem causent, quia hac theoria stante, essentiam rerum non cognosceremus; ex eadem causa et atomismum Epicureorum oppugnat.

In Physica negat spirituale, et elementum formativum et vitale habet quemdam sensum vel quandam vim centralem, quam ἡγεμονικόν, dominans et principale, nominat. Dicit illud esse scintillam ignis divini. Elementum hoc, quod ut aether concipi potest, est Deus omnia penetrans, qui rebus formam dat, est invisibile, determinans principium rerum mundanarum, quae igitur relate ad ipsum principium passivum constituunt. Secundum diversum se manifestandi modum appellatur aut Zeus, aut Poseidon aut Pallas Athenarum et sic porro. Intellectu praeditum, omnia vivificat; decreta eius sunt immutabilia. Homo inter creaturas solus ratione gaudet, quia anima eius e purissimis et subtilissi-

mis partibus ignis formata est. Ad resistendum Deo anima quinque sensibus, loquela et potentia generativa irritatur. Humidum est conditio vitae. Praeponderantia ignis significat dissolutionem et reditum in principium igneum. In ipsum totus mundus redibit incendio universali, ut de novo existere incipiat.

Summum principium Ethicae Stoicorum est, hominem secundum naturam rationabilem vivere debere, quod plane consonat doctrinae eorum, totam naturam elemento rationali dirigi. Quod iustum, honestum et sanctum — unice bonum est, quod iniustum — malum; primum appetendum est, secundum aversandum. Cetera omnia sunt indifferentia. Vere sapiens indifferens est erga omnia mala et bona externa, est liber a passionibus, constans in omnibus circumstantiis vitae et in omni angustia. Sic modo Deo similis fit, sibi sufficiens, alios ut compartes amans iisque benevolus, erga omnes iustus. Praeterea in omnibus quietem animi iuxta naturam servat; si natura se opponit, ipsum suicidium licitum est, dummodo fiat intentione bona.

Stoicis annumerantur:

2. Cleanthes, Assius, nat. c. a. 200 a. Ch., Zenonis successor in schola. Iam tamquam discipulus Zenonis in summa paupertate vivebat, diu studiis vacabat, noctu vero opera manuum suarum victum sibi parabat. Docuit: solem esse sedem animae mundi; animam humanam traduci a parentibus ad liberos; existentiam Dei e harmonia mundi, ex innata idea Dei et e timore, quem phaenomena naturalia in nobis excitent, probari posse.

3. Chrysippus, qui doctrinam Stoicorum in systema redegit. Possidonius, qui in insula Rhodo sedem fixit et philosophiam platonicam et aristotelicam cum stoica permiscuit. Discipulus eius erat M. T. Cicero (106—34 a. Ch.), qui adoptavit eclecticismum magistri sui et placitis epicureis eum adauxit. In logica Academiam sequitur, ad vocem conscientiae et naturae et ad consensum populorum saepe provocat. In physica atomismum oppugnat; in theologia Dei existentiam e consensu populorum probat; in psychologia liberum arbitrium contra Stoicos defendit, imo et immortalitatem animae demonstrare conatur, etsi hac in re incertus haereat; in ethica cum Stoicis virtutem summum bonum esse putat, sed eam practicam esse debere adiungit. Notum est effatum eius: „Agere considerate pluris est, quam cogitare prudenter."

Philosophia stoica Romanis maxime arridebat, quia aequanimitatem et audaciam docuit, rationem humanam scintillam ignis

esse divini affirmabat et austera moralitatis principia praedicabat. Viri magni ingenii, prout Marcus Aurelius Seneca, Epictetus („sustine et abstine!"), Marcus Aurelius Antonin us erant sectatores Stoicismi. Per austeram moralitatem christianismo viam parabat et de facto multi Stoici religionem christianam amplexi sunt.

§ 13. **Epicureismus.**

Systema Epicureismi nomen accepit ab auctore Epicuro. Natus Gargetti apud Athenas an. 341 a. Ch. primis aetatis suae annis in insula Samos vixit, in quam pater eius colonista migravit. Anno aetatis 14 philosophiam colere coepit. Legit scripta Democriti, Platonis et Eleatarum; ex eis composuit systema, quod demum post inventionem scriptorum eius Pompejis melius innotuit. Anno 306 a. Ch. scholam Athenis in horto quodam pulchro apperuit, ubi cum discipulis conversans, eosdem ad felicem vitam practicam, secundum dictamina philosophiae instituendam instruebat. Usus est affabili, amoena colloquendi ratione; sententias et expositiones philosophicas in formulas redegit, quas discipuli memoriae imprimebant. Doctrina eius est hedonismus Aristippi aliquatenus mutatus et atomismo Democriti permixtus.

Philosophiam dividit in Logicam (*κανονική*), Physicam et Ethicam.

a) In Logica docet, verum cognosci tantummodo per apprehensionem sensitivam et per ideas ex ea deductas, quia sensus nunquam errare possunt; sensus enim non iudicant, sed necessario communicant tantum ideas, quae propter impressiones externas in eis oriuntur. Error existit in iudicio, quod igitur per cognitionem sensitivam corrigi debet. Quamobrem homo mundum cognoscere studere debet, ut causas errorum perspiciat, errores corrigat et sibi vitam beatam paret.

b) In Physica cum Democrito asserit, a rebus separari imagines subtiles (*εἴδωλα*), quae per oculos et sensus introeunt, et alias, quae per poros cutis ad animam penetrant; ex eis componuntur communes repraesentationes, quae schematibus phantasiae conveniunt. Somnia oriuntur imaginibus, quae sensibus quiescentibus ad animam intrant. — Mundus ortus est ex atomis, qui secundum diversas in cadendo declinationes diverso modo copulantur et res mundanas efficiunt. Etiam anima constat ex atomis, et est propterea materialis et mortalis. Composita est e quatuor atomis subtilissimis et globosis: ex atomo igneo, aëreo, luminoso et e quodam ignoto, qui est principium sensationis. Si atomi

animae ab invicem solvuntur, cessat sensatio; propterea dicit Epicurus, mortem esse cessationem sensationis, eamque ad nos non pertinere. Si enim existimus, non existit mors, si autem mors existit, nos non existimus. — Dii constant etiam ex atomis; sunt aeterni, non curant mundum; cognoscimus eos praesertim in somniis per imagines ex eis eradiantes; propter eminentiam suam sunt quidem venerandi, sed, quia mundum non curant, non sunt timendi.

c) In Ethica summum bonum habet beatitudinem, i. e. voluptatem tamquam statum perdurantem (ἡδονή). Quilibet curare debet, ut sensationes inamoenas arceat; sed et amoenae evitandae sunt, si ex eis ingratae sequi possent. Prudentia est summa virtus, cum qua temperantia et iustitia copulari debent. Etiam quies animi, bonitas cordis et benevolentia erga alios ad beatitudinem conferunt, quia nobis amicos comparant, qui nos in assequenda beatitudine adiuvant. Imo et liberalitas medium est ad beatitudinem, quia „dare beatius est quam accipere" (τὸ εὖ ποιεῖν ἥδιον τοῦ πάσχειν).

Epicureismus late diffusus est et in vita practica multos ad maximam immoralitatem seduxit. Exemplum adest in dissoluta vita Romanorum tempore Augusti usque ad Antonium Pium, quo epicureismus Romae sectatores multos habuit et sine dubio ad ruinam regni romani contulit.

§ 13. Scepticismus.

1. Auctor scepticismi est Pyrrho Elius (365—275 a. Ch.), coaevus Alexandri Magni. Schola eius usque ad saeculum tertium post Christum duravit. Docuit, metaphysicis ideis veri, boni, pulchri a parte rerum nihil respondere; res a nobis cognosci non posse, et propterea a quolibet iudicio de rerum essentia abstinendum esse; in eo esse beatitudinem quietis et aequanimitatis.

Inter discipulos Pyrrhonis eminet Timon, Phliasius, propter poëmata, quibus philosophiam graecam deridebat (σίλλοι), etiam sillographus vocatus. Docuit, beatitudinem consistere in otio intellectus, quo ab omni iudicio quoad res abstinemus; nihil enim de rebus certo cognoscere possumus, quia sensoria nostra imperfecta sunt, et sensatio ipsa subiectiva et mutabilis. Neque ratio de essentiis rerum nos edocere potest, quia res in perpetuo sunt fluxu et perpetuo immutantur. Nulla existit veritas, contra quam non tot argumenta, ac pro ea, adduci possent.

Ad Scepticos moderatos pertinent etiam sectatores Academiae mediae et novae: Arcesilaus et Carneades, qui, etsi certitudinem cognitionis negaverint, tamen saltem opinionem probabilem admittebant.

2. Aenesidemus, Knossius, qui an. 90—60 Alexandriae docuit, enumerat fontes dubii (τρόπους τῆς σκήψεως) ad refellendos dogmatistas et restaurandum systema Heracliti. Sunt autem fontes illi numero decem: a) varietas structurarum organorum, secundum quam varia entia organica eandem rem diverso modo percipiunt; b) diversitas corporum et animarum hominum, secundum quam etiam sensationes et ideae de iisdem rebus variae esse debent; c) varietas sensuum in homine, quorum unusquisque suo modo res percipit; d) varietas conditionis et mutationis subiecti, secundum quam etiam obiectum diverso modo apparere debet; e) varius situs et varia distantia rerum; f) permixtiones impressionum in nobis productarum; g) variationes corporum quoad quantitatem et structuram, unde variae in nobis sensationes; h) varietas relationum, quibus res variae sive ad subiectum cognoscens sive ad invicem subsunt, quare cognitio nostra relativa est; i) res et sensationes diverso modo apparent, prout sunt aut aliquid consueti aut inconsueti; k) varietas opinionum de bono et malo, de iure et iniuria, denique et opiniones philosophorum de iisdem rebus contradictoriae, ex quo apparet, nos nihil certe cognoscere posse. Praeterea principium causalitatis impugnavit, quia relatio inter causam et effectum non sit tota realis, sed a cogitantis consideratione dependeat; porro etiam propterea, quia causa effectum suum neque sequi neque comitari potest, quod per se patet, sed neque eum praecedere potest, nam quamdiu effectus non adest, tamdiu causa correlata nondum est causa.

Apud Romanos scepticismi defensor erat Sextus Empiricus, qui scepticismi historiam scripsit. Praeterea in 11 libris contra mathematicos seu philosophos dogmaticos sophismatibus probare conatus est, omnem speculationem graecam usque ad suum tempus incertam et dubiam fuisse.

Caput III.

Philosophia graeco-orientalis.

Alexandriae Ptolemaeis regnantibus societas scientiarum „museum" orta est, in qua philosophia graeca cum aliis disciplinis: arithmetica, grammatica, poësia, astronomia, medicina, geographia et physica tradebatur. Quare multi graeci philosophi diversorum systematum ibi conveniebant et systemata graeca cum traditionibus religiosis populorum permiscentes, originem dederunt

syncretismo philosophico, in quo nulla unitas dispositionis aderat; alii delectum e variis systematibus prudenter fecerunt, ita ut systematis species servaretur, qua ratione eclecticismus ortus est. Prodierunt variae scholae syncreticae et eclecticae, quarum notissimae sunt: Schola philosophiae graeco-iudaicae, Neopythagorismus et Neoplatonismus.

§ 14. Philosophia graeco-iudaica.

Iudaei Alexandrini docebant, omnem veritatem descendere e revelatione primitiva, e qua etiam Graeci sapientiam hausissent. Idcirco veritates philosophicas e sacra Scriptura, quae sub Ptolomaeo Philadelpho (c. a. 28 a. Ch.) in linguam graecam versa fuit (Septuaginta), demonstrare studebant et eam rationalistice sensu allegorico exponebant. Antesignanus scholae huius erat

Philo, natus c. a. 25 a. Ch., cuius doctrinae summa haec est:

a) Deus est auctor omnium rerum, est ingenitus (ἀγέννητος), aeternus, immutabilis, incorporeus, simplex, aeternus, apud quem non adest tempus praeteritum et futurum, sed perpetua praesentia; qui nullo spatio limitatur. Mundum creavit e nihilo (ἐκ μὴ ὄντων) bonitate sua per λόγον, quum non deceret, eum, Deum supremum, materiam impuram immediate tangere. Logos in medio est inter Deum et creaturas, ipse est sedes idearum, prototypon omnium rerum, quae sunt ectypa eius. Inhabitat Deo tamquam eius sapientia et distinguitur in multas ideas universales, genericas, specificas, i. e. angelos, daemones et alias deitates inferiores, quae Deo subsunt, immortalitate gaudent et partes sunt τοῦ λόγου. Logos non est ingenitus, sicut Deus, sed neque creatus, prout ceterae res; est respectu Dei primogenitus filius, quoad nos autem quasi Deus. Deus manifestat se mundo per λόγον, mundus per λόγον apud Deum repraesentatur tamquam per intercessorem et pontificem maximum.

b) In Psychologia sententiam defendit, hominem duplicem habere animam: rationalem, quae est quoddam ἀπόσπασμα (eradiatio) naturae divinae, qua homo vere est imago Dei, et irrationalem, cuius sedes sanguis est. Anima rationalis propter quandam culpam corpori est inclusa; per eam homo cognoscit. Continet αἴσθησιν, cognitionem sensitivam, λόγον, intellectivam et νόον, intuitionem. Relatio inter νόον et λόγον eadem est, sicut inter Deum et λόγον, filium eius; perfectam certitudinem praebet sola intuitio, quam Deus per λόγον causat, si petierimus. Deus est sol animi nostri; λόγος est dator sapientiae. Anima

irrationalis est radix cupiditatum et passionum; non est creata a Deo sed a spiritibus inferioribus.

c) In Physica sectatur doctrinam Aristotelis. Ex oppositione inter materiam et λόγον, vim creatricem, exortum est malum; dies creationis indicant ordinem logicum, quo Deus mundum creavit.

d) In Ethica summum finem vitae humanae habet intuitionem Divini, quae per sensualitatis subiectionem attingitur. Ut ratio ad summam beatitudinem perveniat, debet tum cognitio sensitiva (αἴσθησις) tum intellectiva (λόγος) abjici, et homo per νόον intuitioni divinae immergi. Vita quidem activa in societate est necessaria, sed contemplativa activae est valde praeferenda. Virtutes vitae activae sunt: prudentia, fortitudo, temperantia, iustitia; virtutes vitae contemplativae, quae ad intuitionem Divini praeparant, sunt: fides, spes, poenitentia, sapientia. Sapiens solus vitam contemplativam agit.

Ad hanc scholam etiam Iosephus Flavius pertinebat. Rabbi Iehuda saec. 2. p. Ch. composuit Mishnam, Rabbi Iohanna saec. 3. Gemarram, quae opera Talmud Hierosolymitanam constituunt. His accessit saec. 4. Talmud Babylonica. Omnes hi libri pleni sunt traditionibus iudaicis, fabulis et placitis philosophicis. Maxime tamen syncretismi character apparet in Cabbala, cuius auctores sunt Rabbi Akiba et Rabbi Iochai saec. 2. p. Ch. Ad normam numerorum Pythagorae et idearum Platonis origo omnium visibilium et invisibilium rerum e supremo Esse deducitur. Tota philosophia cabbalistica est mixtum informe placitorum Chaldaicorum, Pythagoricorum, Platonicorum et Iudaicorum.

§ 15. Neopythagorismus.

Nigidius Figulus restituit c. a. 50 a. Ch. doctrinam Pythagoraeam, qui tamen non multos imitatores habuit. Famosus evasit Apollonius Thyanaeus, qui sub Nerone ficticiis miraculis maximam sibi apud plebem aestimationem paravit. Peragravit regnum Romanum, doctrinam Pythagorae practice exercendam esse docens. Centum annos post eius mortem, ex adnotatis cuiusdam Damidis Philostratus imperatrice Iulia, uxore Alexandri Severi, movente, historiam Apollonii conscripsit, ea intentione, ut Christo, Magno Thaumaturgo, e parte gentilium aliquis thaumaturgus opponi possit. Scriptum hoc fabulis repletum, propter defectum veritatis fontium, e quibus haustum est, et propter apertam intentionem, Christum contemnendi, vix refutatione dignum est.

§ 16. Neoplatonismus.

Neoplatonici permiscebant ideas Platonis cum traditionibus orientalibus, quo exortus est eclecticismus, qui usque ad emanatismum est progressus. Inter Neoplatonicos, quorum auctor Ammonius Saccas (176—250 p. Ch.), notari merentur: Plotinus (205—270 p. Ch.), Porphyrius (332—304) et Iamblichus Syrorum (mortuus c. a. 330 p. Ch), quia religionem christianam acerrime oppugnabant, ideoque in historia ecclesiastica notantur.

1. Plotinus, Alexandriae Ammonium audivit, systema Neoplatonismi excoluit et 40 annos natus Romam venit, ubi plures sectatores habuit, inter quos et Gallienus, caesar, cum uxore sua.

a) Platonis doctrinam de ideis emanastice explicavit. Unum universale, Deus, est bonum absolute informe, neque in motu neque in quiete, neque in tempore nec in spatio; est enim *τὸ ὄν*, Esse absolutum, in se absolute informe, potius Super-Esse, Super-Rationale. Omnia, quae sunt et esse possunt, erant ab aeterno in hoc Esse, e quo emanarunt. Causa emanationis est bonitas divina. Bonum absolutum non esset absolutum, si se non communicaret; debet ergo aliud producere, quod tamen ab ipso differt, nulla enim amplius unitas sed pluralitas. — Primum, quod ex absoluto emanavit, est *νοῦς*. Qui si absolutum considerat, fit principium intelligens, quod non solum absolutum cognoscit, sed et seipsum. Sic essentia indeterminata determinatur in pluralitatem idearum, quae fiunt principia efficientia et formativa. Non operantur in materia immediate, sed per animam — principium tertium. Anima emanavit e „*νοῦς*“, et sicut hic imago est absoluti, ita iterum anima imago est *τοῦ νόου*. Est substantia immaterialis, adhaerens e parte *τῷ νόῳ* et e parte materiae, quam produxit. Est ideo divisibilis et indivisibilis, prout iam Plato docuerat: animam ex elemento divisibili et indivisibili constare. — Existunt plures animae, quae cum anima suprema, cum anima mundi, intime cohaerent. Inter absolutum et animam est divinum, mundus transcendentalis, quem mundus materialis excipit.

Extrema emanatio est materia. Anima, quae est lumen e lumine, in regione extrema umbram videt, et haec umbra materia est. Est indeterminata, illimitata, informis; malum in se et fons mali. E coniunctione materiae cum ideis animae mundi tamquam formis suis oritur mundus sensibilis, qui est imago mundi transcendentalis realis. Non est aliquid, quod realiter et individualiter praeter mundum idealem existeret, omne pertinet ad emanationem transcendentalem. Ex quo patet, sensibile in se illusionem esse.

Homo constat e corpore et anima. Animae omnes cum anima mundi cohaerent et solum corporibus ab invicem separantur; adest igitur communicatio inter eas: actio in distans. Etiam animae convertuntur ad malum, quia cum mala materia, corpora connectendo, cohaerent. Quoad vitam sensitivam a corpore prorsus dependent, quoad vitam intellectualem liberae sunt propter suam cum *νόῳ* coniunctionem. Anima dignitate sua oblita, ad materiam se converterat, quare in corpus inclusa existit; summam felicitatem adeptura est, quum redierit in bonum summum; quamdiu in corpore versatur, consistit felicitas eius in cognitione et intuitione boni supremi.

Quoad Ethicam hominis est, ut se per mysticam ascesim a vinculis cupiditatum et passionum sensualium liberet et ab individuali ad Divinum se elevet. Virtus est assimilatio Deo. Plotinus dividit virtutes in civiles, purgantes et deificantes. Civiles spectant ad externam civilem conversationem et sunt: prudentia, fortitudo, temperantia, iustitia. Virtutes purgantes consistunt in evitatione sensualitatis; deificantes vero sunt, per quas anima in bonum absolutum redit. — Anima est immortalis. Animae ab omni sensualitate liberae aeterne felices erunt; malae in nova corpora detrudentur et metempsychosim subire debent.

2. Porphyrius scripsit *εἰσαγωγὴν εἰς τὰς (Ἀριστοτέλους) κατηγορίας*, quae „organo“ Aristotelis ad instar proëmii praemitti solet. Excoluit doctrinam Plotini et oppugnavit christianismum, praeprimis propterea, quia Christus a muliere conceptus et crucifixus est, et quia resurrectionem carnis docuit. Quod sequens Platonem fecit, qui docuit, materiam malam esse et fontem omnis mali. Scripsit 15 libros *κατὰ χριστιανῶν*, quos s. Patres redarguerunt.

3. Iamblichus (obiit an. 330 p. Ch.) Neoplatonismum cum Pythagorismo, polytheismo et theurgia, i. e. cum quadam doctrina de conversatione cum diis ope mysticae intuitionis, coniunxit. Ceterum doctrina eius tota est emanastica. Apud Romanos Iulianus Apostata Neoplatonismum ad regenerandum gentilismum adhibuit, quin tamen conatus eius successus felices habuerint.

Iam enim quum „Oriens ex Alto“ venisset, ut illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum, etiam philosophiam graecam doctrina sua collustravit, ut esset magistra rationis ad cognoscendum eum, ad „quem omnis sermo“. Eximiae ideae Platonis et Aristotelis christianismo ab erroribus purgatae et novis doctrinis ditatae sunt ita, ut nova periodus prodierit, quae nomine philosophiae veteris christianae insignitur.

Pars secunda.

Philosophia vetus Christiana.

Etsi philosophi graeci systema doctrinae speculativae pulcherrimum aedificaverint, tamen quaestiones vitae gravissimas solvere non potuerunt, usque dum Veritas divina Ipsa venerit et forma simplici, omnibus accomoda sublimia vitae problemata solverit. Philosophi christiani, quae bona videbantur, a Graecis acceperunt, magis excoluerunt et ad veritatem christianam defendendam et explicandam adhibuerunt. Originem idearum suarum non negant. Ad Platonem et Aristotelem provocant. „Non aliena sunt a Christo instituta Platonis, sed nec omnino similia“, dicit Iustinus Martyr (*οὐχ ὅτι ἀλλότριά ἐστι τὰ Πλάτωνος διδάγματα τοῦ Χριστοῦ, ἀλλ' ὅτι οὐκ ἔστι πάντη ὅμοια* Apol. II. n. 13.). Testante Clemente Alex. philosophia Graecos paedagogi instar ducebat ad Christum (Strom. I, 5). Patres eclectice ex operibus philosophorum graecorum hauriebant et ea, quae neque veritati sana ratione cognitae neque doctrinae revelatae contradicebant, in systema redigebant. In Ethica secuti sunt e maxima parte Stoicos, in Dialectica Aristotelem, in doctrina de Deo, de spiritibus, de anima et aliis rebus immaterialibus Platonem; sed omnibus revelationem divinam longe anteponebant. Praevalet in philosophia Patrum Plato, in philosophia Scholasticorum Aristoteles. Philosophiam Patrum et Scholasticorum: Veterem christianam appellamus, ut discernatur a philosophia, quae post reformationem super fundamentum a Patribus et Scholasticis positum adhibitis novis inventis restaurari coepta est et philosophia recentior christiana audit.

Caput I.

Philosophia Patrum.

Prima vestigia philosophiae christianae saec. III. post Christum natum occurrunt. Necessarium enim erat contra philosophos gentiles probare, revelationem christianam dictamini sanae rationis non contradicere, necessarium, fidem argumentis scientificis confirmare et illustrare, necessarium denique et veritates religiosas in quoddam systema theologicum redigere.

Praestiterunt hoc tum Apologetae et Philosophi Alexandrini tum Patres ecclesiae.

§ 17. Apologetae et Philosophi Alexandrini.

1. Flavius Iustinus (100 – 166), Palaestinensis, qui studio problemata de Deo, de immortalitate et alia solvendi permotus, scholas philosophorum peragravit, primum Stoicos, tum Peripateticos, quemdam Pythagoraeum et denique Platonicos audivit, sed veritatem perfectam non invenit. Ad finem a quodam sene de revelatione divina edoctus, christianismum amplexus est et doctrinam Iesu Christi contra Iudaeos, Gentiles et haereticos in duabus Apologiis et in Dialogo cum Iudaeo Tryphone defendit. Opus „Cohortatio ad Graecos“, quod ipsi attribuebatur, alterius esse scriptoris, ostendunt critici recentiores.

Iustinus aeque ac apologetae Tatianus, Athenagoras, Theophilus affirmant ea, quae in philosophia Graecorum vera sunt, christiana esse, et ad christianos pertinere. S. Iustinus in specie dicit, Platonem Moysen et Vetus Testamentum novisse et ex eis doctrinam de libero arbitrio hausisse; similiter fecisse et alios philosophos et poëtas graecos, qui doctrinam de immortalitate animae, de poenis post mortem, de coelo etc. e libris prophetarum V. T. deprompsissent (Apol. 1, 44.).

2. Magis adhuc quam Apologetae usi sunt philosophia Graecorum, tamquam praeparatione ad theologiam, scholae catecheticae, praeprimis schola Alexandrina, ut gentiles ad religionem christianam praepararent et ad eam amplectendam pronos redderent. Quare magistri christiani eandem tamquam supremam gnosim celebrabant, et quia Neoplatonismus tunc Alexandriae vigebat, etiam hunc ad veritatem divinam explicandam adhibebant. Exinde nonnulla falsa principia in christianam speculationem irrepserunt, quae imprimis apud Origenem (185 — 254) deprehendimus.

Origenes docuit: a) Omnia creata sunt aeterna, nam omnipotentia et bonitas divina aeternae sunt, sicut Deus ipse; sed non possent dici aeternae, si non adesset aliquid, in quo Deus omnipotentiam et bonitatem suam ostendisset. Creatio in tempore mutationem in Deo praesupponeret, quae est impossibilis. Existit infinita series mundorum, ita ut primus sit initium sequentis et sic porro in infinitum; sed mundi non sunt aequales, sed prorsus ab invicem differunt.

b) Mundus constat e materia et spiritibus. Materia differt a qualitatibus solum logice et propterea sine eis existere non potest. Cum Neoplatonicis docet, corpus esse summam qualitatum.

— Spiritus a Deo aequales creati sunt; alii — angeli — propria voluntate Deo adhaeserunt, alii — daemones — graviter peccaverunt, alii denique, qui leviter deliquerunt, ad poenam luendam in corpora humana sunt inclusi, et animae vocantur.

c) Animae praeexistebant ante suam in materialia corpora inclusionem in corporibus aethericis, cum quibus immortales sunt. Spiritualitatem animae probat e natura cognitionis. Per exercitium amoris Dei debet se anima in hac vita a sensualitate liberare, ut redeat post mortem in statum puritatis primitivae. — Libertatem voluntatis testatur suiconscientia. Libertas est fundamentum omnis virtutis, boni et mali. Ad bonum indigemus gratia divina; malum est privatio et non habet rationem in materia, sed in abusu libertatis. Purgatio animae non potest fieri sine redemptione. Sicut ceterae animae et anima Christi ante suam cum corpore coniunctionem praeexistebat et promeruit, ut propter suam constantem Dei dilectionem cum Logo uniretur. Animae purgatae post mortem corporis in gloriam migrant, nondum purgatae stimulis conscientiae, qui cruciatibus ignis aequiparantur, cruciantur et purificantur. Qua purificatione malum e mundo evanescet, et in fine ipse satanas purgabitur. Sequetur universalis spirituum restitutio in statum originarium: ἀποκατάστασις universalis. Eam excipiet universalis resurrectio et corporum glorificatio et transformatio, denique restauratio totius universi ad altiorem perfectam coniunctionem cum Deo. Sed deinde novus mundus evolvetur, novae creaturae prodibunt, usque dum eadem via iterum redeant ad perfectam cum Deo coniunctionem, eodem modo de novo evoluturae usque in infinitum.

§ 18. **Patres ecclesiae.**

Origenis placita neoplatonica nonnulli Patres orientales acceptarunt, dum e contra Patres occidentales Platonem quidem magni faciebant, sed a Neoplatonismo immunes se conservarunt. Inter Patres, qui philosophiam tractarunt, eminet S. Augustinus, sideri splendenti comparandus, qui omnia, quae usque ad eius tempus a philosophis christianis dicta sunt, in systema redegit. Sicut Aristoteles inter Graecos, sic eminet Augustinus tempore Patrum inter philosophos christianos. Ingenio magno et polito praeditus, scientia universali tum profana cum sacra exornatus, ingenuitate logica, praecisione et claritate admiranda argumenta proponit, utens stylo eleganti et forma perfecta.

Aurelius Augustinus, Tagastae in Numidia anno 353 natus, aetatem primam, pravis exemplis seductus, non ex omni parte pure transegit et Manichaeorum sectator evasit. Romae et Mediolani rhetoricam docuit. Quum in doctrina Manichaeorum contradictiones deprehendisset, in scepticismum Academicorum prolapsus est, denique Platonis scripta diligenter pervolvit. Divina gratia, quam sibi pia mater Monica assiduis orationibus expetierat, motus, conciones S. Ambrosii, episcopi Mediolanensis, audivit et religionem christianam amplecti decrevit. Recessit Cassiacum, ibique an. 387 baptisatus est. Anno 391 presbyter ordinatus, episcopi Hipponensis Valerii coadiutor evasit et post eius mortem in munere ipsi successit; ecclesiam Christi pluribus scriptis dogmatico - apologeticis contra Manichaeos, Donatistas, Pelagianos defendit. Obiit anno 430.

Praecipua philosophica scripta eius sunt: Scriptum contra Academicos, de vita beata, de ordine, soliloquia, de immortalitate animae, liber de grammatica, de magistro, principia dialectices, de quantitate animae, de libero arbitrio. Ex operibus theologicis notissima sunt: 22 libri de civitate Dei, 15 libri de Trinitate. Praeterea magni aestimanda sunt opera eius: Confessiones, et contra Pelagianos: de natura et gratia, de gratia et libero arbitrio de praedestinatione sanctorum, de dono perseverantiae, de peccato originali.

Doctrina S. Augustini philosophica spectat a) cognitionem humanam, b) Deum, c) mundum, d) animam, e) principia ethica.

a) Cognitio hauritur e duplici fonte: ex auctoritate et ratione. E primo hauritur fides, e secundo scientia. Veritatem accipimus ab auctoritate et per fidem eam nostram facimus; ad veritatem receptam accedit ratio, eamque demonstrare satagit, e quo prodit cognitio scientifica. Idem valet etiam de veritate revelata; propterea fides homini necessaria est, ipsique est medium, ut a sensualitate ad veritatem et salutem se elevet.

In cognitione naturali duplex existit obiectum: sensibile et intelligibile; primum apprehendimus experientia, secundum ratione. — Certitudinem cognitionis probat per suiconscientiam; nemo enim dubitare potest, se intelligere et propterea existere. Non sensus nos fallunt, sed error adest semper in iudicio, quia iudicamus, quin prius relationem sensuum ad obiectum investigemus. — Intelligibile duplici modo cognoscimus: aut enim a sensibili ad suprema principia insensibilia ascendimus, aut in nobismet ipsis reflectendo veritatem cognoscere studemus. Secundus modus

perfectior est. Veritas totaliter solummodo corde puro cognosci potest, quia veritas in corde puro tantum habitat. — Cognitionis intellectualis suprema norma est veritas absoluta — Deus. Nam ut verum a non-vero, pulchrum a non-pulchro, bonum a non-bono distingui possit, adesse debet norma immutabilis, ad quam actiones humanas metimur; norma haec non potest esse ratio humana, quia ipsa mutabilis est; debet ergo normam talem constituere aliquid, quod est supra rationem, et quum praeter Deum nihil sit immutabile, Deus est illa norma suprema: absoluta veritas, pulchritudo et bonitas. — Si nobis aliqua veritas a magistro humano communicatur, tunc demum eam veram esse credimus, si eam interno absoluto verbo Dei probaverimus. Si duo aliquam veritatem agnoscunt, non potest eam unus in altero intueri, sed ipsa veritatis cognitio et agnitio debet causam communem habere, quae est absoluta veritas, — Deus. Deus est sol spirituum. In lumine eius homines veritatem cognoscunt. — Verbum divinum typicas formas omnium rerum comprehendit, juxta quas res creatae sunt; quum ideo Deus causa suprema communis cognitionis nostrae sit, sine Deo, qui rationes aeternas omnium rerum in se continet, res cognoscere non possemus. Sic modo ipsa natura cognitionis nostrae ad cognitionem Dei ducimur. Doctrina haec Platonica a S. Augustino forma eleganti proponitur, sed prorsus aliena est a doctrina Ontologismi.

b) Existit D e u s. Certum enim est et a nemine negari potest, nos verum cognoscere posse; sed verum cognoscere possumus solummodo per supremam normam cognitionis, scilicet per absolutum, immutabile, supremum verum, et propterea tale verum supremum, absolutum et immutabile existere debet; quod Deus solus esse potest, quia ipse solus immutabilis est, dum alia omnia mutationi subiaceant. Certum est, nos bonum appetere. Sed quodcunque bonum mutabile in tantum vere bonum est, in quantum bono immutabili participat, nam bona huius mundi bona vocari possunt solummodo relate ad bonum supremum — existit igitur bonum supremum — existit Deus (de lib. arb. 1. 2. c. 3. 15.).

Deus est incomprehensibilis et ineffabilis, quo magis hoc cognoscitur, eo magis cognoscitur Deus. Si positive cognosci debet, omnia perfectissima et suprema sibi attribui debent. Deus est immutabilis et indefectibilis, aeternus, praesentia pura, immensus et omnipraesens, supra omne tempus et omne spatium, simulque in omni tempore et omni spatio, totus in toto et totus in singulis partibus. Deus est absoluta intelligentia et absolutum

velle, ergo spiritus absolutus. Quum se Deus cogitet, progignit verbum aeternum et personale; quum se Pater in Filio et Filius in Patre diligat, procedit ex utroque amor personalis — Spiritus sanctus. Deus est omniscius, res omnes cognovit, antequam essent et non cognoscit eas, quia sunt, sed sunt, quia eas cognoscit; in intellectu divino ideae prototypae rerum omnium continentur. — Deus est liber in omnibus suis decretis; decretum conceptum amplius immutare non potest, quia hoc involveret cognitionis et voluntatis defectum. Deus est omnipotens, omnia potest, exceptis iis, quae attributis eius contradicerent; Deus est sanctus, solummodo bona velle potest; est bonus et iustus.

c) M u n d u s constat e partibus mutabilibus et propterea totus mutationi est obnoxius; exinde patet, eum non posse esse a seipso vel aeternum; est ideo creatus et quia praeter Deum nihil est immutabile et aeternum, a Deo e nihilo est creatus. Ante mundi creationem non aderat tempus neque spatium. Tempus enim mutationem supponit et spatium obiecta; sed ubi nihil est, neque mutatio neque relatio obiectorum ad invicem esse potest. Mundus non emanavit e substantia divina, quia a Deo totaliter est diversus; neque Deus anima est mundi, quia quaelibet res Deus esse deberet, quod est absurdum. — Deus creavit mundum libere, quia non est, a quo Deus in suo velle dependeret; mundus est manifestatio divinae bonitatis. Quia Deus pro sua perfectione solum bona creare potest, malum non descendit a Deo, sed causam habet in limitatione rerum finitarum. — Deus creavit omnia s i m u l et quidem tum mundum materialem cum spiritualem in eorum praesente ordine perfecto; sex dies creationis apud Moysen sexenam perfectionum rerum gradationem significant; creatio vero ipsa opus unius potius momenti dici debet. Malum in mundo non est a Deo volitum, sed admissum, ut ex eo bonum proveniat. Deus potuit malum etiam non admittere; sed melius putavit, e malis bona facere, quam nullum malum admittere.

d) A n i m a a corpore essentialiter differt, est immaterialis, immortalis, sine omni extensione quantitativa; est individualis, et non existit anima universalis; natura sua est spiritualis et rationalis, neque irrationalis fieri potest, quamobrem doctrina de metempsychosi falsa est. Anima humana est eiusdem naturae ac spiritus puri vel angeli sunt, eo solum discrimine, quod coniuncta sit in homine cum corpore materiali et ideo homo recte: „animal rationale mortale“ definitur, e contra angeli, qui etiam

corpus habent, sed perfectius corpore humano, subtile et immortale: „animalia rationalia immortalia" terminantur. Animalia vero, quae anima rationali carent, generatim „irrationalia" vocantur.

Etsi Augustinus doceat, omnes res simul fuisse creatas, non tamen audet affirmare, etiam animas ante corpora sua praeextitisse, imo negat praeexistentianismum, expresse docendo, animas una cum corporibus oriri.

Quomodo et quando tamen animae a Deo creentur, et qua ratione peccati originalis transmissio explicari debeat, non ostendit, imo sententiam suspendendam esse concludit. In quolibet corpore humano unica adest anima, quae est unicum principium totius vitae. Distinctio inter animam vegetativam, sensitivam et intellectivam est tantum logica. Anima agit in corpus et sentit per illud, non autem vice versa. Quia duplex datur cognitio: sensitiva et intellectualis, duplex etiam species fontium, e quibus cognitio hauritur. Sensitiva hauritur e sensibus externis, e sensu communi, qui sensationes in unum coniungit, e phantasia et memoria sensitiva. Cognitio intellectualis hauritur e memoria intellectiva, ex intelligentia et voluntate. Haec trias imago est divinae Trinitatis. Intelligentia est aut intuitiva aut discursiva et vocatur aut intellectus aut ratio. Animae immortalitatem eodem fere modo probat sicut Plato.

e) In Ethica duplicem libertatem ad moraliter operandum distinguit: libertatem electionis, qua homo inter diversa eligere potest, et libertatem a malo et aptitudinem ad bonum. Utraque libertas homini competit, et quidem prima naturaliter, de quo nos edocet suiconscientia et discrimen inter bonum et malum, quod sine libertate esset impossibile; secundam accipit homo per gratiam divinam, et propria culpa iterum amittere potest.

Liberum arbitrium non tollitur per infallibilem Dei praescientiam, nam homo non eligit, quia Deus hoc praescit, sed quia homo ita eligit et agit, Deus hoc praevidet.

Cum doctrina de libertate cohaeret S. Augustini doctrina de summo bono tamquam fundamento Ethicae. Bonum duplex est delectabile et utile. Primum nos felices reddit et propter semetipsum appetitur, secundum medium est ad aliud bonum adipiscendum. Bonum supremum debet esse bonum delectabile, quod homines felices reddit, est inamissibile et causa nostrae summae perfectionis. Quod non potest esse aliquod bonum sensibile, nec virtus per se ipsam, sed solum aliquid supra hominem — Deus, bonum infinitum. Summa hominis beatitudo consistit in perfecta

intuitione et dilectione Dei, quae demum post hanc vitam attingentur, sed in hac vita praeparari debent. Actiones moraliter bonae sunt, quae secundum legem divinam ad bonum supremum diriguntur. — Virtus est medium ad bonum supremum attingendum, et consistit in aptitudine et dexteritate et pronitate voluntatis ad moraliter bonum, simul tamen etiam in fortitudine et firmitate eiusdem in bono exercendo. Definitur a S. Augustino: „Animae habitus, naturae modo et rationi consentaneus" vel „ars bene recteque vivendi". Principalis virtus et norma moraliter agendi est amor Dei, e quo sequitur rectus amor suiipsius et proximi. — Malum non est reale quid, sed privatio boni debiti, naturae contraria et corruptio. Causa eius remota est creaturarum limitatio et mutabilitas, causa proxima libertas voluntatis. Malum morale — peccatum est; malum physicum: poena peccati, privatio scilicet summae beatitudinis, quae partialis est in vita praesente, totalis vero in futura. Actio bona est accessus ad Deum, mala recessus a Deo tamquam supremo bono et accessus ad nihilum. Solummodo actio bona est aliquid positivi, quia finem positivum habet; actio mala in se, tamquam actio spectata, quidquam positivi quidem est, sed quia est recessus et deficientia a bono, realiter aliquid negativi est. Habet igitur causam non tam efficientem quam deficientem.

E propositis succinctis lineamentis excellentia et profunditas philosophici systematis S. Augustini patet. Merito ergo cum doctrina Aristotelis fundamentum erat ulterioris speculationis christianae usque ad S. Thomam Aquinatem, qui doctrinam Aristotelis, Platonis, S. Augustini et Scholasticorum in systema composuit, quod usque ad tempus praesens ingenii humani monumentum est praestantissimum.

Caput II.

Philosophia Scholasticorum.

§ 19. Arabici et iudaici commentatores Aristotelis.

Tempore, quo missionarii apostolici doctrinam Christi in remotissimis orbis partibus propagare conabantur et viri scientia conspicui omni modo doctrinam salvificam rationibus explicare et demonstrare satagebant, e parte ipsius philosophiae Aristotelicae doctrinae christianae periculum imminere coepit. Arabes post regni sui dilatationem Aristotelis studium valde promovebant, opera eius commentabantur et placitis neoplatonicis et iudaicis

corrumpebant Cordubae in Hispania scholam erexerunt, quae tum a christianis cum a Iudaeis e Gallia, Italia, Anglia et Germania frequentabatur. Ex hac schola saec. X., XI., et XII. doctrina Aristotelis commentationibus arabicis adaucta per translationes latinas e versionibus arabicis confectas late diffundebatur. Multae ex his translationibus continebant placita religioni christianae adversa. Valet hoc de scriptis:

1. Avicennae (980—1037), qui docuit, existere intellectum agentem, qui omnibus hominibus communis sit et extra eos existat; porro materiam esse aeternam et creationem e nihilo contradictionem involvere.

2. Averrhoes Cordubensis (1126—1198), quem S. Thomas oppugnavit, commentator Arabum praecipuus. Docuit, existere intellectum universalem tum agentem cum possibilem, immortalem, ab anima humana separatum, ab anima, quae non sit immortalis. Anima est subiectum passivum, in quo ab intellectu communi cognitio producitur; quae proinde ab anima beluina non differt essentialiter sed gradu solummodo. Negat cum Aristotele, Deum cognoscere res minimas huius mundi earumque curam habere.

E commentatoribus iudaicis, qui in speculationem christianam influebant, notari merentur:

1. Avicebron (1020—1070), ad quem Scotistae saepe provocant. Docuit, omnes res mundanas tum materiales cum spirituales compositas esse e materia et forma, quia non sunt aeternae et propterea ex actu et potentia constant. Animam mundi e substantia divina emanasse autumnavit.

2. Moses Maimonides, Cordubensis (1135—1204), a suis valde odio habitus, vixit in Fez, in Palaestina et Aegypto. Ad propagationem Aristotelismi apud Iudaeos maxime contulit, Cabbalisticam vero acerrime impugnavit. In s. Scripturae expositione sensum literalem tamdiu retinendum esse docuit, quamdiu non occurrat textus, cuius sensus literalis rationis dictamini adversetur; tunc demum sensum allegoricum esse admittendum.

§ 20. **Initia Scholasticae. Scotus Erigena.**

1. Contra conamina Commentatorum Aristotelis apud Arabes et Iudaeos surrexerunt apud Christianos Scholastici. „Scholastici" primum nominabantur magistri septem artium liberalium: Grammaticae, rhetoricae et dialecticae in trivio; arithmeticae, geometriae, musicae et astronomiae in quadrivio. Deinde appellabantur hoc nomine magistri, qui in scholis scientias, praeprimis philosophiam et theologiam, systematice et dialectice tractabant. Discrimen inter eos et Patres in eo adest, quod Patres data occasione quaestiones philosophicas tractarent, neque completum systema philosophicum adornare studerent, Scholastici e contra systematice doctrinas philosophicas et theologicas exponerent, utentes e maxima parte methodo analytica. Propositas enim theses explicabant, dubia et sententias oppositas refutabant et theses probabant. Alii eorum veritates speculative alii contemplative tractabant, aut utramque methodum coniungebant. Floruerunt maxime saec. XIII. et secuti sunt imprimis Aristotelem, sed et Socratem et Platonem, prout eos Patres intellexerunt. Principium eorum directivum erat: veritatem veritati contradicere non posse, quia omnis veritas ab intellectu divino procedit, sive lumine revelationis supernaturalis sive dictamine rationis cognoscatur. Deus autem sibi contradicere non potest; harmonia igitur Deo digna inter veritates revelatas et rationales adesse debet. Hanc harmoniam Scholastici operibus suis philosophicis ostendere studebant, quin dignitatem philosophiae tamquam scientiae deprimerent. Expresse enim docebant, philosophiam sua, a theologia diversa habere principia, a quibus procedat, item suam tractandi methodum; sed, quia omnis veritas ab intellectu divino procedit, necesse dicebant, ut sit fides stella rectrix philosophiae ad errores praecavendos. Hoc sensu adagium usitatum: „philosophiam ancillam esse theologiae" intelligi debet. Negari quidem non potest, ultimos Scholasticos minutissimis saepe quaestionibus cribrandis tempus trivisse et forma styli hinc inde minus perfecta usos fuisse, sed propter hunc defectum non licet totam Scholasticam reiicere, quum ipsa methodum logicam et scientiam metaphysicam excoluerit, ita ut et nostris diebus inter tot systemata philosophica magistra sit tutissima et firmissima.

Praecursor Scholasticae est Scotus Erigena.

2. Ioannes Scotus Erigena, natus in Hibernia c. a. 843, erat magister scholae palatinae Parisiis, postea sub Alfredo Magno ad universitatem Oxoniensem vocatus est. Occupabatur primum scriptis falsi Dionysii Areopagitae, deinde scriptis Maximi Confessoris et operibus ss. Patrum: Basilii, Gregorii Nazianzeni et Nysseni, denique etiam Origenis. Scripsit librum „de praedestinatione" et „de divisione naturae." Systema eius sapit Neoplatonismum estque idealistico-emanatisticum.

a) Principium omnis cognitionis est fides, et omnis speculatio ab effatis s. Scripturae incipere debet. Quae effata iuxta

principia rationis explicari debent, ita ut verum sit effatum S. Augustini: „veram philosophiam et veram religionem idem esse.“

b) Natura est quadruplex: α) quae creat et non creatur, i. e. Deus, qui est per se, indifferens, in quo similia et dissimilia et contraria unum sunt, qui plus per ignorantiam quam per cognitionem vere cognoscitur, quia est incomprehensibilis, super ens, supra omnem sapientiam, omnipotentiam et omnia. β) Secunda natura est, quae creatur et creat, i. e., formae prototypae, ideae, principia prima omnium rerum, antequam sunt creatae. Eas formas creavit Deus ab aeterno e suo „Esse“, e nihilo, in filio suo, λόγῳ, et quidem ita, ut hae causae primordiales non essent a Filio discretae. γ) Tertia natura est, quae creatur et non creat, i. e. mundus sensibilis. Oritur mundus eo modo, quod ad communem „οὐσίαν“ momenta accidentia mere intelligibilia, qualitates, accedant, unde corporeitatis apparentia. Corpora sunt summa horum apparentium accidentium, quibus subest una eademque omnibus „οὐσία“, quae a mundo ideali essentialiter non differt. Causae primordiales, formae prototypae, quae sunt ab aeterno in λόγῳ neque a λόγῳ differunt, procedunt ab eo et oritur mundus. Mundus ergo non est a Deo diversus — Pantheismus. δ) Quia omnia cum Deo una sunt, omnia iterum in Deum redeunt: quarta natura, quae nec creat nec creatur. Reditus in Deum dependet a Redemptione. In Christo natura sensibilis deificata, transformata est; reditus universalis fit per resurrectionem, per quam corpora naturam spiritualem induent, omnis diversitas destruetur et omnia in primum principium redibunt. Poenae aeternae consistunt in privatione bonorum temporalium, quibus voluntas inordinate adhaerebat.

Doctrina Scoti tamquam pantheistica ab Ecclesia proscripta est. Secuti sunt eum Amalricus de Chartres et David a Dinanto, quorum placita in concilio Lateranensi (1215) sub Innocentio III. condemnata sunt

§ 21. Realismus et Nominalismus.

Doctrina Platonis et Aristotelis de realitate idearum universalium occasionem praebuit pugnae inter Realistas et Nominalistas, quae fere per totum medium aevum perduravit.

1. Roscellinus, in Armorica natus, Compendiensis canonicus, docuit c. a. 1089, universalia solum „flatus vocis“ esse, mera nomina — purus Nominalismus.

2. E contra Guilelmus Campellensis (Champeaux) (1070–1121) demonstrare conabantur, conceptus universales realiter in rebus adesse, ita ut individua solummodo per accidentia ab invicem distinguerentur — **Realismus exageratus.**

3. Alii denique putabant, universalia conceptus esse, qui in similitudine rerum fundamentum habeant, non ergo mera nomina sint — Conceptualismus vel Nominalismus mitigatus, quem imprimis Petrus Abaelardus (1079–1142) propugnavit. Contra eum scripsit S. Bernardus doctrinamque eius reprobavit.

4. Pugnae dictae implicatus est S. Anselmus, archiepiscopus Cantuariensis (1034—1109), per suum argumentum ontologicum pro Dei existentia, in quo Realismum est secutus. Si enim ex idea ad realem existentiam concluditur, iam exinde realistica theoria proditur. Sed Anselmus etiam expresse docet (Monolog. c. 1.), aliquid bonum esse in tantum, in quantum de bono supremo participat, idem de alacri, forti, pulchro etc. dicendum esse; ea omnia praesupponunt aliquod commune, quod in singulis adest et efficit, ut sint ipsum id, quod attributum exprimit. Has reales universalitates attribuit Anselmus Deo, qui, cum sit perfectissimus, summam omnium realitatum continet, ideoque aeque existere debet, ac res existunt, quae has singulas realitates habent.

§ 22. Status florens philosophiae scholasticae. Petrus Lombardus, Alexander Halensis, Albertus Magnus.

1. Saeculo XIII. et XIV. philosophia scholastica maxime floruit. Expeditiones cruciatae ad studium scientiarum excitandum multum contulerunt et ordines recens fundati unus alteri in scientiis philosophicis et theologicis palmam praeripere studebant. Placita commentatorum arabicorum et iudaicorum, falsae doctrinae: de communi omnium hominum ratione, de aeternitate mundi, mortalitate animae, impossibilitate Deum et eius providentiam cognoscendi, de pugna inter philosophiam et theologiam materiam praebebant, acumen mentis philosophice exercendi, omnia principia rationis examinandi, exponendi et applicandi. Praestiterunt hoc viri sagacitate, eruditione et simul vitae sanctitate conspicui, quorum opera armamentaria sunt quasi et diebus nostris, e quibus desumi possunt tela praestantissima ad subiectivismum, materialismum et pantheismum debellandum.

2. Petrus Lombardus, Abaelardi discipulus, Novarensis episcopus Parisiensis, defunctus an. 1164, primus doctrinam Patrum de quaestionibus controversis in systema redegit in opere, cui titulus: „Theologiae christianae sententiarum libri IV“. Liber

hic in omnibus tunc temporis universitatibus in praelectionibus theologicis adhibebatur et auctori titulum scientificum Magistri Sententiarum promeruit. Omnes fere Scholastici hunc librum commentati sunt et eum in docendo theologiam adhibuerunt, dum in philosophia Aristotelem magistrum venerati sunt.

3. Alexander Halensis, ordinis Franciscanorum, a monasterio Hallensi in Anglia cognominatus, primus erat Scholasticorum, qui totam philosophiam Aristotelis et partem commentatorum arabicorum noscebat et ad theologiam explicandam adhibuit. Docuit Parisiis et vocabatur: Doctor irrefragabilis et Theologorum Monarcha. Mandante papa Innocentio IV. scripsit „Summam theologicam", quae a 70 theologis examinata et a papa omnibus magistris theologiae commendata fuit. Mortem obiit an. 1245.

4. B. Albertus Magnus, Lauingianus Sueviae, oriundus e nobili familia de Bollstädt 1193, studuit Paduae et Bolognae et ordinem Dominicanorum est ingressus. Studiis absolutis missus est magister Coloniam, inde migravit Parisios, sed iterum Coloniam rediit, a discipulis, quorum multa millia habuit, ubique ob ingenii subtilitatem et praeclaram eruditionem celebratus. Postea factus est legatus apostolicus in Polonia, Magister Palatii, episcopus Ratisbonensis; sed munere abdicato, ad cellulam Coloniensem rediit, ut studiis et libris scribendis vacaret. Mortem obiit an. 1280.

B. Albertus primus erat christianorum, qui in universos libros Aristotelis proprios commentarios exaravit, eiusque philosophiam in systematica expositione theologiae continuo adhibuit. In suis operibus scientificis duplici procedit via: aut enim philosophiam peripateticam exponit, repristinat et excolit, quin rationem habeat theologiae, aut vero theologiam tractando philosophiam Aristotelicam adhibet, omittendo tamen omnia, quae doctrinae christianae in ea adversabantur. Philosophiam a Theologia stricte separat. Theologiam dicit manare e fonte fidei, philosophiam e ratione, theologiam tractare de Deo, philosophiam de ente per se spectato, finem theologiae esse pietatem et salutem aeternam, in philosophia scientiam sibi ipsi finem esse. In theologia fides praecedit. Fides per scientiam speculativam propterea illustratur et demonstratur, ut id, quod creditur, melius cognoscatur, ut homines ad fidem facilius adducantur et adversarii fidei argumentis refutentur.

Summa doctrinae eius generatim haec est:

a) Res constant e materia et forma et differunt ab invicem per „quidditatem". Quidditas est effectus intelligentiae et propterea natura, in qua variae formae inveniuntur, Intelligentiam creatricem postulat.

b) Deus e rebus creatis cognosci potest, non autem „a priori", in se ipso; propterea eius existentia „a posteriori" demonstrari debet. Res in mundo sibi invicem subordinatae sunt, debet ergo in hac subordinatione primum adesse. Illud primum non potest esse corporeum, quia corporeum compositum est et simplex praesupponit, debet ergo esse spirituale. Quod spirituale non potest esse mutabile, quia mutabile in potentia est, ut ab immutabili mutetur. Debet igitur esse spirituale et immutabile. Quod neque anima neque aliquis angelus esse potest, quia haec sunt mutationi obnoxia — sed unice Deus: existit Deus. — Deus est pura intelligentia, sine omni compositione physica vel metaphysica; intelligentia, quae omnia effecit. Contra multos Peripateticos Deo voluntatem absolutam et absolute liberam competere dicit. Deus quidem non potest aliquid velle, quod non haberet, quum omnia habeat; sed quum eis, quae possidet, delectetur et eis acquiescat nec non ad agendum et non agendum libere se determinet, recte ei absoluta voluntas et libertas attribui debet. Quia est Deus absolute liber, etiam creatio mundi ipsi attribui potest, et quia subordinatio in mundo causam primam postulat, Deus revera mundum creavit, et quidem e nihilo creavit, quia si materia aeterna esset, Deus causa prima et universalis omnium non esset.

c) Mundus igitur non est aeternus. Si Peripatetici mundi aeternitatem probant, nihil aliud probant, nisi mundum per generationem naturalem incipere non potuisse, sicut naturaliter corrumpi non potest. Sed praeter generationem datur creatio, ad quam philosophi graeci utique se elevare non poterant, quia principiis naturalibus insistentes, ad causam supremam, immaterialem non ascenderant. Principium ab iis valde tritum „e nihilo fit nihil" in causis naturalibus quidem valet, non vero quoad causam, quae naturales transcendit.

d) Spiritualitatem animae probat ex operatione eius ab organis independente. E spiritualitate sequitur eius immortalitas Anima est forma substantialis corporis, nam per animam homo specifice differt ab animalibus; illud autem, quo entia ab invicem differunt, est eorum forma essentialis; propterea idem et quoad animam valet.

e) Anima humana libera est et propterea actiones morales exercere valet. Homo destinatus est ad beatitudinem aeternam, quae consistit in amore et intuitione Dei. Via, quae ad eam ducit, est virtus.

B. Albertus in suis operibus philosophicis scientias physicas et naturales in genere valde recommendat. Ipse iis per totam

vitam occupabatur, phaenomena naturae observando et explicando. Primus christianorum erat, qui zoologiam, botanicam, mineralogiam systematice docere aggressus est, imo physiognomicae et phrenologiae prima principia rationalia posuit. Propter eruditionis universalitatem nomen Doctoris universalis hereditavit.

§ 23. S. Thomas Aquinas, S. Bonaventura, Ioannes Duns Scotus.

1. Alberti Magni clarissimus discipulus erat S. Thomas Aquinas, Doctor Angelicus, stella ardens scientiae christianae et optimus operum Aristotelis medio aevo interpres. Natus an. 1225 Roccasicae apud Montem Cassinum e nobili, cum gente Stauphica cognata familia, annos quinque natus traditus est educationis causa monasterio Montecassinensi. Inde migravit Neapolim, ubi iam prius habitum S. Dominici induerat. A magistro Dominicanorum, Ioanne Teutonico, Romam et Parisios missus, B. Albertum Magnum magistrum audivit et tantam eo duce rerum philosophicarum et theologicarum copiam acquisivit, ut mox ad munus docendi admissus fuerit et prae magistro suo ab ingenti numero discipulorum celebratus sit. Docuit Coloniae, Parisiis, Bolognae et Neapoli. Dignitatem episcopalem et cardinalatum, sibi oblatos, accipere constanter recusavit. Mortem obiit an. 1274 in monasterio Fossanuovae prope Neapolim in itinere ad concilium Lyonense, ad quod a Pontifice Gregorio IX. vocatus erat.

Sicut magister Albertus Magnus, ita et S. Thomas tum commentarios in opera Aristotelis exaravit, tum propria scripta, utendo operibus Aristotelis, Platonis, S. Augustini et magistri sui B. Alberti, composuit. Inter commentaria ad Aristotelem eminent illa ad libros: „de interpretatione, analytica prosteriora, metaphysica, physica, parva naturalia, de anima, ethica Nicomachi, politica, meteororum libri, de coelo et mundo, de generatione et corruptione", inter quae commentaria insertus est tractatus „de ente et essentia" et commentarius ad „librum de causis". Ex operibus propriis notari merentur: Commentarius ad librum sententiarum Petri Lombardi, Quaestiones disputatae, Summa contra gentiles et Summa theologica. Accedunt Opuscula (de aeternitate mundi, de principiis naturae, de natura materiae, de principio individuationis, de natura generis, de natura accidentis, de intellectu et intelligibili etc.). Praeterea scripsit commentarios in s. Scripturam et conciones. Opera eius in editione Romana ex an. 1570 septemdecim volumina in folio comprehendunt.

Sagacitate magna praeditus, e commentariis arabicis ad Aristotelem verum sensum philosophiae peripateticae eruit et methodo systematica, forma clara doctrinas philosophicas et theologicas, imprimis in duobus notissimis operibus: Summa contra gentiles et Summa theologica, syllogistice proponit et defendit. Veritates naturales a supranaturalibus stricte discernit, earumque differentiam in relatione ad intellectum ponit. Ratio mysteria quidem nullo modo comprehendere potest, sed valet difficultates contra ea motas tum solvere, ostendendo mysteria non esse contra sed supra rationem, tum per analogias et cogruentias illustrare et intellectui pervia facere. Inter rationem et revelationem nequit adesse vera contradictio, quia utraque ultimam causam in sapientia divina habet, quae sibi contradicere non potest. Omnes difficultates rationis contra revelationem sunt sophismata. — Ratio humana propriis principiis praeambula fidei cognoscere et demonstrare valet. Ad praeambula fidei pertinent inter alia: existentia Dei, creatoris personalis et liberi, mundi huius conservatoris, gubernatoris et iudicis; spiritualitas et immortalitas animae, discrimen inter bonum et malum. Deus etiam has veritates revelavit, quia multi homines propter otii defectum eas aut nunquam aut propter ingenii debilitatem sero demum et multis erroribus admixtis cognoscerent. Ratio etiam revelationis credibilitatem demonstrare valet.

Philosophia et theologia sunt duae scientiae ab invicem discretae. Obiectum proprium philosophiae sunt veritates rationales, theologiae veritates revelatae. Si veritates rationales simul revelatae sunt, utraque scientia eas secundum sua principia pertractat. Quaelibet harum scientiarum propria ab invicem independentia habet principia et suam methodum; nihilominus iuvant invicem, philosophia methodum tractandi et argumenta naturalia theologiae porrigendo, theologia philosophiam ab errore praeservando. Utraque scientia est speculativa; sed praestat theologia philosophiae certitudine, quum Dei sapientiae et auctoritati innitatur; nec non obiecto, quod est Deus, creator omnium. Universalia in tantum dicit realitatem habere, in quantum in rebus realiter fundamentum habent, a rebus abstracta in intellectu humano tamquam ideae realiter existunt et ante creationem iam in intellectu divino tamquam ideae prototypae existebant: universalia in re, post rem et ante rem. — Impossibile est hic totam Angelici Doctoris doctrinam philosophicam explicare, quum nimis ampla sit et omnia contineat, quae ante eum

in philosophia sapienter dicta sunt. Pro scopo haec lineamenta sufficiant:

a) In Metaphysica imprimis de materia et forma disputat. Forma est vel essentialis vel accidentalis, materialis vel subsistens. Fomae, quae omnem materiam excludunt — subsistentes — sunt aut completae: spiritus puri, aut incompletae, ad complendam speciem destinatae: animae humanae. Res constant praeterea ex essentia et existentia, quae ultima ad primam accedit, ut res realiter existant. — Materia est vel communis vel signata, individuata. Materia signata, i. e. essentia determinata res ab invicem differunt. Spiritus per se individuantur, quia e materia et forma non componuntur.

b) Quoad Noëticam. Ut aliquid cognoscatur, prius imago obiecti cognoscendi in subiecto produci debet, quod fit per quandam subiecti et obiecti assimilationem. Haec imago vocatur species intelligibilis et non est id, quod cognoscitur, sed principium formale, per quod intellectus obiectum cognoscit. Intellectus enim imaginem quasi arripiendo, verbum mentis producit, obiectum cognoscit et per verbum oris exprimit. Cognitio est duplex: sensitiva, cuius obiectum sunt sensibilia, individualia; et intellectualis, cuius obiectum sunt universalia, rerum essentiae. Cognitio sensitiva est fundamentum cognitionis intellectualis: „Omnis nostra cognitio intellectualis incipit a sensu." Ideae innatae non existunt. Intellectus est quasi tabula rasa. Dividitur in intellectum agentem et possibilem. Intellectus agens speciem intelligibilem arripit et eam illuminando et abstrahendo, intelligibilem facit; intellectus possibilis deinde speciem recipit, verbum mentis producit et rem cognoscit. Effectus cognitionis sensitivae est repraesentatio, species; effectus cognitionis intellectualis: conceptus vel terminus, iudicium, ratiocinium. — Intellectui proprius est habitus principiorum universalium. In quantum cognoscit ope horum principiorum singularia et ab iis progrediendo novas ideas format et cognoscit, vocatur ratio. Intellectus est organum cognitionis, ratio organum scientiae et summa principia sunt scientiae semina. Intellectus et ratio non differunt realiter sed solummodo logice.

c) In Theologia rejicit S. Thomas argumentum ontologicum pro Dei existentia. Dei essentia eadem est cum eius existentia et propterea propositio „Deus est" in se quidem evidens est, quia praedicatum „est" vel „existit" continetur in ratione subiecti vel identicum est cum Dei essentia; sed propositio ista non est evidens quoad nos, quia Deum immediate non cognoscimus, sed mediate per suos effectus; quamobrem existentia Dei non potest probari „a priori" sed „a posteriori." Angelicus quinque argumenta proponit: α) e motu in mundo ad primum motorem immobilem, β) e causis efficientibus, in quibus non licet procedere in infinitum, sed necesse ponere causam primam, γ) e possibili (contingente) et necessario, δ) e gradibus perfectionis, qui in rebus inveniuntur, ita ut necesse sit, ponere primum perfectissimum, ε) e finalitate in mundo ad primam causam intelligentem et volentem (S. th. I., q. 2. a. 3.).

Deus est actus purus sine omni potentia; est simplex, infinitus, perfectissimus et sic porro. Perfectiones eius non sunt ab invicem realiter sed solum virtualiter distinctae, quatenus scil. Dei essentiam sub variis respectibus consideramus (S. th. I, q. 13. a. 14. c.). — Deus est summa intelligentia, sibi ipsi obiectum cognitionis. Deus continet in se ideas prototypas omnium rerum, sed pluralitas earum idearum non est absoluta, sed relativa tantum, in quantum videlicet essentia divina vario modo immitabilis est. Esse et Intelligere in Deo unum sunt, quare et idea in Deo absolute loquendo una est. — Deus est absoluta voluntas; primarium obiectum suae voluntatis ipse solus est, secundarium vero sunt res creatae. Seipsum vult necessario, res ceteras libere.

d) In Cosmologia docet, Deum causam primam omnis Esse, creasse mundum. Quum autem omne ens constet e materia et forma, utraque a Deo originem habere debet. Materia non potuit e Deo emanare, quia Deus materialis non est. Debuit igitur materia a Deo creari, quia autem creata est a Deo, ab ipso essentialiter differt, causa enim essentialiter differt ab effectu. Haec, quae ratio dictat, e consideratione mundi probari possunt. Sed ratio creationem mundi tempore determinato stricte probare non potest, etsi possibilem propter mundi contingentiam admittat. „Mundum incepisse sola fide tenetur." — Finis creationis est manifestatio bonitatis divinae — Optimismus.

e) In Psychologia docet cum Aristotele, animam primam esse entelechiam corporis physico-organici. Distinguit inter animam vegetativam, sensitivam et intellectivam. Anima humana est simpliciter intellectiva, sed sensitivam et vegetativam virtute continet. Est spiritualis, quod eruitur ex eius operatione, quae ab organismo est independens, nec non e conscientia, quae hominem edocet, animam super se ipsam et suas operationes reflectere posse. Docet porro, sicut Aristoteles, animam vegeta-

tivam et sensitivam virtute seminis ante intellectivam adesse et in formationem corporis influere. Anima intellectiva a Deo immediate creatur et cum vegetativa et sensitiva tam intime coniungitur, quod formae animae vegetativae et sensitivae corrumpantur (i. e. convertantur in virtutem vegetandi et sentiendi), ita ut anima intellectiva unica sit denuo forma hominis subsistens (C. gent. l. 2., c. 87.). Quum sit anima spiritualis et subsistens, etiam incorruptibilis et immortalis est, quia tamquam substantia intelligens et volens a corpore independens est et etiam post mortem corporis per se existere valet, imo propter desiderium felicitatis sibi naturale existere debet.

f) Quoad Ethicam docet, finem hominis consistere in summa perfectione, quae est Deo assimilatio per supremam felicitatem adeptura. Quae felicitas non in bonis terrestribus ponenda est, sed in perfecta Dei cognitione et dilectione. Quia Deum in hac vita non intuemur immediate, neque eum perfecte cognoscere neque cognitioni congruenter perfecte diligere possumus, et propterea felicitatem perfectam non in hac, sed in altera vita assequimur. Necesse igitur, secundum legem divinam actiones componere et voci conscientiae obedire. Malum morale est divergentia a lege divina, est causa deficiens, defectus, privatio boni debiti. Medium ad felicitatem assequendam est virtus. Praeter virtutes naturales Graecorum: prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam et virtutes hisce subordinatas, pertractat virtutes theologicas: fidem, spem et charitatem.

Denique omnia, quae quocunque modo ad philosophiam pertinent, tanta ingenuitate, praecisione et universalitate pertractat, ut opera eius, imprimis Summa theologica, argumenta contineant ad errores etiam nostrorum dierum redarguendos. Merito igitur Summi Pontifices S. Thomae opera encomiis celebrarunt et philosophiam eius, quam Leo XIII. in encyclica „Aeterni Patris“ de 4. Aug. 1879 „sapientiam auream“ nominat, toto orbi christiano commendabant. Doctor Angelicus tam frequenter expositus est, ut testante Dre. C. Werner (Der heilige Thomas von Aquino I, 885) saeculo XVIII. circa 700 commentarii exstiterint.

2. S. Bonaventura, Ioannes Fidanza, Balneoregiensis (1221—1274), Franciscanus, discipulus Alexandri Halensis, docuit primum theologiam Parisiis, deinde magister Generalis ordinis et Cardinalis factus est. Obiit durante concilio Lyonensi. Vocatur Doctor Seraficus et S. Thomae aequiparatur. In nonnullis

ab ipso declinat. Primum quidem docet, sequens Alexandrum Halensem, etiam entia spiritualia, angelos et animam humanam constare e materia et forma. Nam, dicit, per formam fit anima actu, sed actualitas aliquod substratum habere debet, quod est ubique materia. Secundo docet, rationem demonstrare posse, mundum tempore determinato creatum esse et aeternitatem mundi esse impossibilem. Denique plus sequitur Platonem, dum S. Thomas ubique Aristotelem magistrum praedicat.

Ad philosophiam addit mysticam, ob quam praecipue inclaruit. In „Itinerario mentis ad Deum“ rationem doctrinae mysticae exponit, quae in eo consistit, quod anima incipiendo a mundo sensibili, vestigia Dei inquirat, in creatis eius maiestatem et pulchritudinem contempletur, deinde in se ipsam revertens, in se tamquam imagine Dei Deum speculetur, tandem vero ad Divinitatem ipsam se elevans, Deum immediate adspiciat.

Dominicani sectabantur S. Thomam, Franciscani: Alexandrum Halensem, S. Bonaventuram et Duns Scotum. Exinde orta est diuturna pugna inter Thomistas et Scotistas.

3. Ioannes Duns Scotus, Hibernus (1274—1308), Franciscanus, docuit praesentibus innumeris discipulis in universitate Parisiensi et primus S. Thomam ubique valde celebratum impugnare in nonnullis ausus est, quin eum tamen in operibus suis nominet. In critica disquisitione argumentorum, sibi minus placentium, ingenium subtile ostendit, quare nomen Doctoris Subtilis meruit. Criticam ultra modum exercuit, felicior in aliorum sententiis impugnandis, quam in propriis stabiliendis. Distinguit inter materiam primo primam, secundo primam et materiam tertio primam. Prima est sine qualibet, forma, unica universalis, essentiis corporalibus et spiritualibus communis; secundam eam esse dicit, quae est subiectum generationis et corruptionis artificialis. Attribuit ergo corpori propriam formam, praeter formam animae. Inter individua, inter universalia et singularia, inter essentiam et existentiam, inter attributa divina, inter ens et attributa transcendentalia, inter substantiam et potentias naturales, inter animam vegetativam, sensitivam et intellectivam in homine distinctionem formalem esse dicit. Immortalitas animae est doctrina fidei et per rationem demonstrari non potest. Voluntas seipsam ad agendum determinat sine obiecti influxu — Indeterminismus purus.

§ 24. Status philosophiae scholasticae decrescens. Rogerius Baco, Guilelmus Ockam, Gabriel Biel, Nicolaus Cusanus, Giordano Bruno.

Pugnae inter scholas Thomistarum et Scotistarum, quaestiones hinc inde subtiles, quae a nonnullis Scholasticis cum scientiae detrimento fuse tractabantur, forma styli neglecta, praeprimis autem spiritus renitentiae contra auctoritatem ecclesiasticam, prout eam apud sectas saec. XIV., Wicleffitas, Hussitas et alias videmus, occasionem praebuerunt, philosophiam graecam et christianam impugnandi, denique vero prorsus rejiciendi. Praecursores huius periodi fuerunt:

1. Rogerius Baco (1214—1294), Doctor mirabilis, Franciscanus Anglus, qui philosophiam Oxoniae docuit. Vir magno ingenio praeditus, in physica et mathematica valde peritus, qui philosophiam christianam multis veritatibus naturalibus ditare potuit. Sed odio in Scholasticos praeoccupatus, metaphysicam eiusque magistros acerrime est aggressus. Munere magistri privatus, studiis naturalibus usque ad mortem vacavit.

2. Guilelmus Ockam, Franciscanus, Duns Scoti Oxoniae et Parisiis discipulus, docuit Parisiis. In discordiis inter Ludovicum Bavarum et Summum Pontificem a partibus regis stetit et ad eius defensionem contra Sedem Apostolicam quaedam scripta edidit. Monasterio pulsus, obiit Monachii an. 1347. In historia nomine Doctoris Singularis nuncupatur. Restituit Nominalismum, et Sensualismum inauguravit.

Docuit enim, universale nullam realitatem habere, et hominem singularia tantum cognoscere, ad quod soli sensus sufficiunt. In Psychologia Dualismum profitebatur, affirmando, animam sensitivam ad corpus pertinere et propterea cum anima intellectiva eiusdem substantiae esse non posse, quod e pugna inter rationem et sensualitatem apparere aiebat. Asserebat porro, rationem animae incorruptibilitatem et immortalitatem Deique existentiam probare non posse. Discrimen inter moraliter bonum et malum non esse intrinsecum, sed e libera Dei voluntate ortum, neque ullo modo demonstrari posse, Deum ultimum esse finem voluntatis humanae. Negabat etiam, hominem capacem esse, ut Deum intueatur.

3. Gabriel Biel († 1495) Scholasticorum ultimus, qui Tubingiis docuit et doctrinam Ockami methodice et systematice dispositam in universitatibus propagare studuit. Lutherus et Melanchthon opera eius pervolvebant, etsi a Sorbonna Parisiensi et Romae prohibita fuerint.

4. Nicolaus Cusanus, in pago Kues apud Treviros natus an. 1401; studuit Deventeri et Patavii iuri, mathesi et theologiae; factus est episcopus Brixinensis et Cardinalis. Mortem obiit an. 1464. Scholasticam prorsus reiicit et mysticismum et subiectivismum sectatur. Summa doctrinae eius est:

a) Praeter rationem, quae e sensibus conceptus abstrahit et in cerebro residet, adest intuitio intellectualis, per quam verum cognoscimus et quae nulla lege neque principio contradictionis, prout ratio, coarctatur. Ipsa cognoscit veritatem, quum Deus fidem infundat.

b) Deus est identitas omnium differentiarum et contradictionum; omnia comprehendit; mundus et natura sunt explicationes eorum, quae in Deo sunt identica, unita. Homo igitur rerum essentias nonnisi conjecturaliter cognoscere potest, et ignorantiae confessio suprema est scientia.

c) Deus quidem mundum creavit, sed eo modo, quod rebus suum esse communicaverit; proinde mundus non est nisi Dei invisibilis apparitio, quae doctrina aperte pantheismum sapit. Rotationem terrae super axim 100 annos ante Copernicum affirmasse fertur.

d) Anima res cognoscit per assimilationem intuitionis intellectualis cum rebus; sed quia in ista intuitionis assimilatione veritas cognosci non potest, nisi per immediatam inffluentiam luminis divini, quod est ipse Deus, ergo intellectus illustratus, quum cognoscat, Dei similitudinem intuetur et Deus omnia in ipso producit — deificatio. Non immerito nonnulli in doctrina Cusani principia Schellingii „philosophiae identitatis" et pantheismi quaerenda esse dicebant. Sectator eius Giordano Bruno aperte pantheismum docuit.

5. Giordano Bruno, natus Nolae apud Neapolim an. 1550, in aetate iuvenili poësi nimis vacabat et lectione poematum immoralium corruptus est. Depravatis iam moribus ordinem S Dominici ingressus est, sed mox aufugit et Genevam et Parisios se contulit, ubi libris scribendis operam dedit. Fidem et Ecclesiam tot insultibus affecit, ut exinde magnum scandalum commune oriretur. Parisiis relictis, vagatus est per Angliam, Germaniam et Helvetiam, denique Romam venit, ubi Inquisitionis tribunali se sistere debuit et quum haeresim abiurare noluisset, brachio saeculari traditus et ad cremationem condemnatus est an. 1600.

Docuit, mundum ex infinita multitudine viventium monadum constare, quae per principium divinum — animam mundi — in

unitatem coniungantur. Monades eae sunt increatae, aeternae, simul materiales et spirituales. Etiam anima humana est monas. Pluralitas substantiarum est tantum apparens, et formae solum externe pereunt et oriuntur: anima mundi, quae omnia penetrat et vivificat, est prorsus immutabilis. Pro philosopho non existit Deus transcendentalis; theologus iuxta fidem eum agnoscere potest. Deus et mundus quoad substantiam unum sunt — pantheismus.

Pars tertia.

Philosophia recentior, moderna.

Saeculo 16. ad finem vergente, quum populi antiquitati gentili nimis studerent et Lutherus per suam reformationem omnem traditionem reiecisset, una cum auctoritate ecclesiastica etiam auctoritas et traditio scientifica reiecta est, et prodierunt viri, qui veterum systematibus philosophicis reprobatis, nova construere attentabant. Hac agendi ratione periit unitas philosophicae speculationis et cum unitate certitudo et firmitas. Iam una pars philosophorum experientiam unicum fontem omnis cognitionis proclamavit et sola experientia vel empiria omnia explicari debere docuit. Vocantur Empiristae et systema eorum Empirismus. Empirismus decursu temporis in sensualismum, deismum, materialismum, darwinismum, realismum, positivismum evolutus est et denique ad scepticismum pervenit.

Pars altera e contra rationem unicum fontem cognitionis admittebat et certitudinem experientiae aut negabat aut addubitabat, unde Rationalismus prodiit. Rationalismus causa fuit idealismi, qui erat fundamentum pantheismi, usque dum philosophia in pessimismum degeneravit.

Interea quum philosophia moderna in nova in dies systemata abiret, in scholis christianis philosophia scholastica recentioribus naturalibus doctrinis ditata novae methodo philosophicae viam parabat, quae nomine philosophiae recentioris christianae insignitur.

Agendum igitur in tertia parte huius historiae
in Cap. I. De empirismo;
in Cap. II. De rationalismo;
in Cap. III. De philosophia recentiore christiana.

Caput I.

De empirismo.

§ 25. Praecursores empirismi.

1. Franciscus Bacon de Verulamio, natus an. 1561 Londini, cancellarius regni Angliae (1619), mox tamen propter concessiones et venalitatem munere privatus, mortem obiit anno 1626. Scholasticorum adversarius, quos propter defectum observationis naturae, usum syllogismi et methodum deductivam valde contemnit. Sed non est purus empirista, quia praeter experientiam et alios fontes cognitionis admittit.

a) Methodum inductivam unice scientificam esse dicit et propterea doctrina eius necessario empirismo et materialismo viam parabat. Methodum inductivam „suam" et „novam" appellat, eamque in „Organo novo" pertractat. Sed immerito; nam iam Socrates, Plato et Aristoteles inductionem excoluerunt et adhibuerunt, quos Scholastici sequentes, methodum inductivam nullo modo neglexerunt. Bacon postulat, inductionem ab individuali ad conceptus mediae universalitatis ascendere debere. Syllogismum et methodum deductivam reprobat, non aestimans momentum deductionis ab universali ad particulare, neque gravitatem syllogismi pro cognitione inductiva mediata (cf. F. Überweg, System der Logik, p. 33). Non potest quidem negari, Baconem methodum inductivam generatim promovisse, sed in specie neque ea, quae suo tempore in scientiis iam explorata erant, satis aestimavit, imo neque ex omni parte cognovit (l. c p. 34).

b) Ut vera scientia acquiri possit, dicit Bacon, removenda sunt impedimenta scientiae, causae errorum, quas idola nominat, quia falsa scientia sit quasi idololatria intellectualis. Quae idola sunt vel α) idola tribus, i. e. praeiudicia communia omnibus hominibus, β) idola specus (denominata iuxta doctrinam Plotini, qui aiebat, hominem quasi in specu sedere et umbras rerum considerare), quorum causa est individualis hominum natura et limitatio, γ) idola fori, i. e. praeiudicia ab hominibus sibi mutuo communicata, δ) idola theatri, i. e. talia, quae in erroribus scholae consistunt et in auctoritate magistrorum fundamentum habent. Ultima idola dicit esse periculosissima et imprimis Aristotelismum cum despota turcico comparat, qui solummodo occisis consanguineis et competentibus regimen suum sustinere potest. Quum impedimenta remota sint, scientia acquiri debet α) observatione naturae in singulis phaenomenis; observationes

ipsas instantias naturae appellat; β) observationes debent in tabulas scribi et ordinari: comparationes instantiarum, γ) denique progrediendum est ad realem naturae cognitionem.

Philosophiam a theologia stricte separandam esse dicit. Doctrina eius scientiis experimentalibus valde quidem profuit, sed metaphysicae et ethicae interitum parabat. Inter effata eius notissimum est: „Leves gustus in philosophia movent fortasse ad atheismum, sed pleniores haustus ad religionem reducunt."

2. Thomas Hobbes, Malmesburgensis (1588—1679), amicus et discipulus Baconis, educator Caroli II., regis Angliae. Doctrina eius est materialistica. Asserit:

a) In Cosmologia conceptum substantiae esse merum figmentum, corpus esse substantiam et veram philosophiam nonnisi de corporibus tractare. Etiam homo merum corpus est et anima eius corpus subtile. Quaevis repraesentatio intellectualis fundamentum habet in apprehensione sensitiva, quae iterum non est nisi motus in organismo corporali. Hic motus causat impressiones, e quibus invite phantasmata oriuntur et per reminiscentiam conceptus, iudicia, conclusiones. Omnis cogitandi ratio est computatio: additio et subtractio. Potentia appetitiva necessario ad bonum maius movetur; libertas consistit in immunitate a coactione in perficiendo eo, ad quod appetitus movetur. Bonum supremum est sui conservatio. Ex quo

b) in Ethica sequitur, cuilibet ius ad omnia competere. Quia autem iuxta hoc principium pugna omnium cum omnibus oriretur, necesse est, foedera inire et conventiones pangere, sicut et supremam potestatem in aliquem transferre. Optima regni constitutio est monarchia absoluta, ita quidem, ut, qui regimen exercet, supra omnes leges et cives sit, qui ultimi sibi cum vita et corpore, cum rebus omnibus imo et quoad religionem subiici debent. Opera eius notissima sunt: „Elementa philosophica," „Elementa philosophiae de cive," „Leviathan" sive „de materia, forma et potestate civitatis ecclesiasticae et civilis."

§ 26. Sensualismus.

Sensualismi asseclae sunt:

1. Ioannes Locke, Wringtoniensis, natus an. 1632, mortem obiit an. 1704. Studuit philosophiae et medicinae Oxoniae, sed medicinam non exercuit, sed in Batavia et Anglia vivens, philosophiae operam navavit, Baconem sequens et complens. Summa doctrinae eius est fere haec:

Omnes nostras ideas per experientiam acquirimus, quae nobis sensatione et reflexione innotescit. Anima est tabula rasa. Sensatione externa ideae simplices causantur, cum quibus ratio ideas reflexas, experientia interna productas coniungit, qua ratione ideae complexae oriuntur. Ideae complexae sunt modi et non sunt aliquid realiter existens, sed sunt solummodo modificationes rei in spatio, tempore, secundum numerum. Substantia non est, nisi substratum modorum sine realitate, est conceptus consuetudine acquisitus. Coniunctione, divisione etc. idearum oriuntur relationes „relatif's", ad quas pertinet et causalitas. Ratio nostra, quum consideret, aliquid per operationem alterius fieri, huncce causam eventus esse putat, et eventum ipsum eius effectum nominat. Universalia sunt mera nomina et phantasmata animae. Ideae simplices solae realitatem habent. Inconsequens est tamen, quia de cognitione Dei loquitur, qui tamen sensatione apprehendi non potest; imo Dei existentiam argumento cosmologico probat. — Animam dicit esse immaterialem et immortalem,sed asserit, immaterialitatem animae ex actu cognoscendi per rationem probari non posse, quum Deus etiam materiae vim cogitandi impertiri potuisset. — Voluntatem non agere sine motivis dicit. Si motiva, secundum quae agit, a ratione meliora et aliis anteponenda aestimantur, voluntas libera dicitur.

2. Stephanus Bonnot de Condillac, Gratianopolitanus, (1715–1780), clericus, vixit Parisiis et conversatus est cum Rousseau, Diderot, Voltaire. Initio docuit secundum Lockium, duplicem esse fontem cognitionis: sensationem et reflexionem; posterius verò sensationem unicum fontem proclamavit, ita ut anima in cognoscendo mere passive se haberet. Suis principiis inconstans, immortalitatem et immaterialitatem animae docuit et contra Lockium possibilitatem, ut materia cogitet, negavit.

§ 27. Deismus.

In Anglia theoria Lockii usque ad negationem ordinis supernaturalis est progressa et Deismum produxit, qui Deum quidem admittit, sed omnem eius in mundum influentiam negat. Deismi sectatores in Anglia sunt: Toland, Tindal, Bolingbroke.

In Gallia: Franciscus Arouet Voltaire, Parisiensis (1694–1778), qui cum Deistis Anglis et in Borussia cum Friderico II., rege, multum est conversatus. Vir morum corruptorum, qui impiissime religionem et cultum catholicum irridebat; Dei

existentiam quidem admittebat, sed eum mundum non curare dicebat et animae immortalitatem addubitabat. Cultus rationis, libertas absoluta in omnibus, despectus ordinis supernaturalis et quaedam philanthropia sunt notae characteristicae doctrinae eius. Accedunt ceteri Encyclopaedistae: Denis (Dionysius) Diderot (1713—1784), encyclopaediae conditor, Ioannes d'Alembert (1717—1783) et Ioannes Iacobus Rousseau (1712—1778), morum pravitate famosus, qui librum de „contractu sociali" edidit, cuius doctrinam Henricus Saint-Simon, Parisiensis (1760—1825), Carolus Fourier, Vesuntinus (1772—1837), Iosephus Proudhon, Vesuntinus (1809—1865) et Ludovicus Blanc imbiberant et principiis materialisticis admixtis, Socialismum et Communismum condiderunt.

In Germania inter alios Deistis adnumerandi sunt:

Hermannus Sam. Reimarus (1694—1768); Gottholdus Ephraim Lessing (1729—1781); Ioannes Godifredus Herder (1744—1803), qui omnia dogmata negavit et religionis essentiam in affectu posuit, sine omni obligatione secundum fidem vel vivendi vel agendi.

§ 28. Materialismus.

Quarta evolutio empirismi est materialismus. Quum secundum empirismum et sensualismum omnis nostra cognitio ex experientia profluat, et iuxta Hobbesium sensatio non sit, nisi motus organismi, quum secundum eandem theoriam substantia sit solum imaginatio mentis et sola corpora realiter existant, prona erat assertio: praeter materiam et motum nihil existere, vel praeter materiam et vim non dari aliquid — materialismus. Materialismum inauguraverunt in Gallia:

1. Julius Offroy de la Mettrie (1709—1751) Friderico II., Borussiae regi, amantissimus. Tituli librorum eius satis produnt characterem doctrinae materialisticae: „L' homme machine" (1748), „L' homme plante" (1748) etc. Summa placitorum eius est: Deus non existit. Existit solum materia et motus. Cogitatio est motus cerebri. Homo differt ab animali qualitate et magnitudine cerebri; estque machina prout animal et planta. Summum bonum omnium creaturarum est grata sensatio, quae apud hominem, qui eius sibi conscius est, „voluptas appellatur. Pereunte substantia cerebri, perit anima. Homo vita frui debet, quamdiu vivit.

Haec asserta disiecta et temeritate hucusque in Gallia inaudita prolata collegerunt Holbach (1723—1789) et instructor eius Lagrange in systema quoddam in libro „Système de la nature," qui anno 1770 publice editus, oraculum evasit doctrinae materialisticae. Breve argumentum libri huius famosi est: Existit solum materia et motus. Utrumque est increatum aeternum, necessarium. Materia constat ex atomis, qui per motum necessarium et aeternum componuntur, ut oriantur res mundanae. Complexus rerum natura vocatur. Omnia fiunt necessitate. Idea Dei est maximae amentiae. Fundamentum habet in ignorantia virium naturae; produxerant eam terror revolutionis et naturae nocivi effectus. Homo est ens physicum, anima non est a corpore distincta, centralis sedes animae est cerebrum. Si sermo fit de anima, cerebrum intelligitur. Natura se conservare cupit; Natura inanimata per vim attractivam et repulsivam, homo vero per dilectionem sui. Bonum est, quod utile; malum, quod nocivum. Quia omnia necessitate fiunt, passiones et vitia de iure sunt. Virtus est ars per promotionem felicitatis aliorum seipsum felicem reddendi. Reipublicae est, per poenarum comminationem cupiditates et passiones refraenare vel per privationem libertatis facultatem adimere, ne quis aliis noceat.

2. Claudius Adrianus Helvetius (1715—1771) materialismum in ethicam introduxit. Docuit: animam esse facultatem sensitivam organicam. Suprema sensationis transformatio est intelligentia (esprit). Motivum agendi est sui dilectio; passiones sunt de iure, imo necessariae et nulla ethica ius habet eas reprimendi. Ethica identica est cum religione, quare sui abnegatio stultitia est reipublicae periculosa et nociva. Aeque nociva est religio, quae in dogmatibus fundatur; maxime nocivus vero „papismus."

3. I. Georgius Cabanis (1757—1808), medicus et philosophus Parisiensis, restituit sensismum Condillaci et placitis materialisticis adauxit. Effatum eius characteristicum est: „Sicut stomachus escas consumat, ita digerit cerebrum sensationem in elementa vitae physicae."

4. Ioannes Iosephus Gall, Wittenbergensis (1758—1828), primum professor Viennae, deinde Parisiis, qui pater Craniologiae et Cranioscopiae nuncupatur. Iuxta eum qualitas vitae psychicae e formatione cranii et cerebri cognosci potest. In externa parte cranii adsunt quaedam elationes „protuberantiae," e quibus concludere possumus ad dispositionem psychicam. Quae protube-

rantiae et in cerebro occurrunt. A qualitate et quantitate cerebri dotes hominis psychicae dependent. Theoria Galli, quam Lombroso novissime sectatur, necessario ducit ad materialismum.

In Germania florentibus scientiis naturalibus et dilabente philosophia idealistica, materialismus crassus est propagatus. Materialistae praecipui sunt:

5. L. Andreas Feuerbach, natus an. 1804 Ansbachii, in universitate Erlangensi philosophiam docens, qui omnia a materialistis Gallicis proclamata principia adoptavit. Theologiam vocat deificationem. Homo repraesentat sibi proprietates suas tamquam subiecta, quae in quodam summo ente coniungit, quod deinde Deum appellat. Putat ideo, Deum et religionem nihil esse nisi phantasiae figmentum.

6. Carolus Vogt, Giesseniensis, nat. 1817, docuit Genebae et conferentias in Germania instituebat, ad materialismum late propagandum. Asserit, cogitationem vel ideam non esse, nisi quandam secretionem cerebri ad modum organicae secretionis urinae vel bilis.

7. Iacobus Moleschott, nat. 1822, docuit Heidelbergae, postea Turini in Italia, mortem obiit an. 1895. Cogitationem quandam phosphorescentiam cerebri nominat ad modum scintillarum electricarum. Qualitatem hominis dicit dependere a qualitate escarum, quibus fruitur (Kreislauf des Lebens 1852, Einheit des Lebens 1864).

8. Henricus Czolbe, qui docuit, sensationes et affectiones cerebri secerni ex anima mundana, unde cogitatio explicari possit.

9. Ludovicus Büchner, Darmstadiensis, nat. 1827, materialistarum coryphaeus, cuius liber „Kraft und Stoff" oraculum est materialistarum nostrorum dierum. Secundum doctrinam eius existunt tantummodo corpora, quae e materia et vi componuntur. Omnia ad haec duo ultima principia reduci debent. Vis et materia indivisibiliter coniunguntur; vis sine materia existere non potest, quare neque Deus, neque spiritus, neque anima spiritualis existere possunt. Eadem est vis, quae per stomachum escas consumat et quae per cerebrum cogitat; cogitatio oritur combinatione virium. Cerebrum est machina ad cogitandum. Materia et vis sunt increatae, aeternae. Omnia fiunt necessitate naturae.

10. Etiam David Strauss in opere: „Der alte und der neue Glaube" principia materialistica sectatur.

§ 29. Darwinismus.

Iam Lamarck opinionem protulit, entia superiora usque ad hominem decursu temporis ex inferioribus se evolvisse. Uberius tamen hanc hypothesim explicavit per sic dictam „selectionem naturalem et artificialem" et per „mutuam individuorum pro existentia colluctationem"

1. Charles Darwin (1809—1882) in suis operibus: „De origine specierum" (1859) et „De origine hominis et selectione generica" (1871). Summa doctrinae eius est:

Homo potest selectione artificiali novas species et semispecies animalium et plantarum producere. Per copulationem enim carnalem individuorum, in quibus quaedam proprietates modo eminenti se evolverunt, denique novae species prodeunt. Etsi hoc verum non est, quia experientia teste talia individua post secundam vel tertiam generationem aut pereunt aut vero sterilia manent, tamen Darwin hanc hypothesim veram esse supponit et affirmat, quod per artem fit, fieri in natura per selectionem naturalem. In principio — dicit — paucissimae existebant formae plantarum et animalium vel unica tantum forma, quae se e protoplasmate evolvit. Formae exortae in ulteriori propagatione per accomodationem ad tempestatis, climatis, escarum etc. diversitatem in perpetua colluctatione pro sua existentia varias essentiales mutationes passae sunt.

In tali pugna quaedam membra constante usu melius sunt evoluta, alia propter non usum defecerunt. Mutationes individuis et speciebus utiles per varias generationes ita denique post generationum millia evolutae sunt, ut novae species prodierint. Individua cum mutationibus conservationi nocivis in colluctatione perierunt. Homo est ultima species in hac evolutione et prodiit e specie simiarum anthropoidarum.

2. Ernestus Haeckel, Potsdamensis, nat. 1834, professor in universitate Ienensi, creationem mundi in opere „Schöpfungsgeschichte" negat et eius evolutionem materialistice et darwinistice explicare conatur. Asserit, mundum esse productum virium physicarum et chimicarum, quae sint aeternae et necessariae, materiae necessario inhaerent et mundum hunc et ordinem eius necessario produxerunt. Initio existebat globus aërius, e quo pedetentim corpora anorganica prodierunt; organica evoluta sunt ex inorganicis per „generationem aequivocam," species superiores ex inferioribus per selectionem naturalem.

§ 30. Realismus

Opposite ad pantheismum Spinozae et materialismum nonnulli viri ingeniosi quemdam atomismum tum mitiorem tum rigidiorem docuerunt. Eminet inter eos vir scientia et animi cultura praestantissimus:

1. Godifredus Guillelmus (liber baro) de Leibniz, Lipsiensis, nat. 1646, mort. 1716. Annos 15 natus magna iam scientia eminebat, incumbens studiis philosophicis et iuridicis in universitate Lipsiensi. Baccalaureus philosophiae et doctor utriusque iuris in eadem universitate factus Romam petiit ibique, etsi assecla confessionis protestanticae, magno honore est exceptus. Annis 1712—1714 Vindobonae commoratus est. Quoad religionem unionem inter varias sectas protestanticas comparare studuit, quod idem etiam inter religionem catholicam et protestanticam fieri valde desiderabat. Spes eum fefellit. Inde ab anno 20 aetatis suae nullam ecclesiam protestanticam visitavit. Viam conciliationis et unionis etiam in philosophia aggressus est, principia scholae aristotelicae-christianae cum inventis scientiarum naturalium prout et scientias in genere cum fide christiana componere studens. Philosophia eius multa praeclara continet, sed propter idearum varietatem demum a sectatoribus in quoddam systema est redacta. Nihilominus multum profuit ad impediendam propagationem empirismi crassi et materialismi Anglorum et Gallorum in Germania. Summa philosophiae Leibnizianae est:

a) Existunt tres fontes cognitionis α) intelligentia, quae est aut intuitiva aut derivata. Intuitiva tendit aut ad universale (vérité de raison) aut ad particulare (vérité du fait). In ea cognoscit intellectus duas ideas ad invicem pertinere immediate, in cognitione derivata autem opus est idea media. Contra Scholasticorum principium „nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu“ obmovet, saltem intellectum prius adesse debere, si autem adest, iam adest suiconscientia et cum ea multitudo idearum. — Ideae innatae in anima praeformatae sunt, ita ut in anima multae perceptiones adsint, quae apperceptiones (i. e. ideae, quarum conscii sumus) demum fiunt per secundum fontem cognitionis, scil. β) per apprehensionem sensitivam, quae non est nisi occasio realis cognitionis nostrae. Accedit fons tertius: γ) opiniones, quae in mera probabilitate fundantur.

b) Quum ideae in anima praeformatae sint et ipsa sui „ego“ per seipsam conscia fiat, debet esse ens sibi sufficiens et occlusum, ens monadicum. Quaelibet monas est quasi mundus pro se, totum

universum quasi in nuce comprehendens et repraesentans. Monas in se occlusa non habet aperturas vel fenestras, quibus ea, quae fiunt in mundo, in eam introeant; propterea ideae eorum, quae extra monadem sunt, iam a principio in ea adesse debent, sed ut factis et rebus extraneis respondeant, providet Deus per sic dictam harmoniam praestabilitam, ita ut gesta in monade et extra eam conveniant sicut duo horologia, quae aequaliter tempus indicant. — Existunt monades, in quibus vis monadica α) quasi dormit (mundus anorganicus), β) quasi somniat (plantae), γ) monades cum clara perceptibilitate (animalia), δ) monades cum vera suiconscientia (mundus spiritualis). Ne duae quidem monades invicem exaequant, quod Leibniz „principium indescernibilium“ nominat.

c) Mundus constat e monadis, quarum essentia est vis per se operans, etsi hinc inde impedita. Constat ergo mundus e solis viribus. Etiam corpora sunt meri complexus virium. Materia non existit; quod materiam vocamus, est aut impeditio virium aut illusio, quae producitur per compaginationem monadum, propter quam aliquid constans et perdurans esse videtur. Tempus est series phaenomenorum sibi succedentium, spatium coëxistentium.

d) Anima est monas centralis, circa quam dispositae sunt monades corporis. Fundamentales vires animae sunt: intelligere et velle. Contactus inter animam et corpus statutus est per harmoniam praestabilitam. Voluntatis libertas non est libertas indifferentiae, sed sui determinatio ad bonum melius appetendum. — Omnes monades corporum et omnes monades centrales in Adamo creatae sunt. Monades corporis in statu involutionis, monades centrales in statu consopitionis. Per generationem corpus e statu involutionis in statum evolutionis transit, anima e statu inconscientiae in statum conscientiae. Ad quod interventus divinus necessarius est. Per mortem redit corpus in statum involutionis. Animae animalium una cum corpore ad consopitionem originariam revertuntur, sola anima humana, quae suiconscia est etiam post corporis involutionem conscientiam retinet, in quo eius immortalitas consistit. Manet tamen et post mortem cum corpore coniuncta.

e) Monades ab invicem prorsus independentes non potuerunt seipsas in ordinem praesentem redigere, et propterea debet existere Deus, qui hanc harmoniam produxit. Deus est actus purus, qui in suis actibus a nullo determinatur nec per aliquod principium

passivum limitatur. Mundum produxit absolute libere. Deus effulgurat monades non tamen ad modum emanationis; monades sunt ideae Dei et effulgurantur per actum divinum, qui a nobis comprehendi non potest. — Finis creationis est gloria Dei et beatitudo creaturarum rationalium. Finis hic solum per optimum mundum attingi potest, qui est mundus existens praesens. Mundus praesens non esset optimus, si in ipso malum non adesset, quia et ipsum ad Dei gloriam conferre debet.

f) Summa hominis beatitudo consistit in possessione Dei tamquam boni supremi et attingitur per virtutem et iustitiam. Sine spe retributionis post mortem non adesset moralitas. Existit duplex regnum: regnum spirituum et regnum naturae, priori praeest Deus tamquam princeps, secundo tamquam creator. Utrumque sibi conforme est per harmoniam praestabilitam.

g) Quoad theologiam positivam e maxima parte catholica sectatur principia: Non datur contradictio inter revelationem et rationem; mysteria non possunt ratione comprehendi, quia sunt supra rationem, non tamen sunt contra rationem; traductio peccati originalis per creationem in lumbis Adae explicatur; redemptio tamquam momentum essentiale ad mundum perfectissimum et optimum pertinet.

2. Christianus Wolff, natus Vratislaviae an. 1679, in patria universitate studio matheseos et philosophiae incubuit. Leibnizio intercedente professor Halae evasit. Quia de „theologia naturali" praelectiones habuit et iuxta principia lutherana orthodoxa solummodo theologia supernaturalis existere potest, a quadam factione protestantica atheismi accusatus, munere orbatus et patria pulsus est. Sed regnante Friderico II. iterum revocatus. Halae usque ad obitum docuit an. 1754.

Wolff doctrinam Leibnizii in systema composuit et doctrinae aristotelicae p'us accomodavit. Condidit divisionem philosophiae nunc communiter usitatam in philosophiam theoreticam et practicam. Theoreticam divisit in Logicam et Metaphysicam; Metaphysicam iterum in Ontologiam, rationalem Psychologiam, Cosmologiam et Theologiam naturalem. Practicam divisit in Ethicam, Ius naturale et Politicam.

Bonum nominat, quod naturam nostram perficit, malum, quod eam minus perfectam reddit. Summum igitur ipsi principium moralitatis est: Fac, quae tuiipsius et proximi conditionem perficiunt, et omitte, quae eam minus perfectam reddunt. Summa perfectio hominis est simul et summa eius beatitudo, quia perfectio voluptatem causat et felicitatem producit.

3. Ioannes Fridericus Herbart, Oldenburgensis, nat. 1776, studuit Ienae et magistrum habuit Fichte. Anno 1802 docere coepit Gottingae philosophiam et paedagogicam; factus est ibidem postea earumdem disciplinarum professor, quas tractavit usque ad obitum suum an. 1841. Opera eius praecipua sunt: „Hauptpunkte der Logik" et „Hauptpunkte der Metaphysik" (1806), „Allgemeine praktische Philosophie" (1808), „Lehrbuch der Einleitung in die Philosophie" et „Lehrbuch der Psychologie" (1816).

Philosophiam dividit in tres partes: in Logicam, quae conceptus explicare debet, in Metaphysicam, quae ideas ex experientia haustas corrigit et contradictiones solvit et in Aestheticam, quae conceptus ita complere debet, ut aestimationem pariant et rerum systema unum totum placens efficiant. Doctrina eius est constructa e placitis Eleaticis, Platonicis et Leibnizianis. Brevis eius conspectus est:

a) Fons cognitionis omnis realitatis est sensatio. Cognoscimus formam, relationes rerum; substantia vero rerum nos prorsus latet. Logicum universale per se realitatem non habet.

b) Metaphysicam dividit in Methodologiam (Systematicam), in Ontologiam (de ente), Synechologiam (de continuo), et Eidologiam (de phaenomenis). — Reale vel ens existit, est positivum, absolutum, simplex, est neque extensum neque continuum. Res sunt complexiones multarum simplicium substantiarum, monadum vel realitatum. Substantia et accidens non existunt. Imaginamur substantiam, quia in rebus adest Reale in medio constitutum, ad quod omnia Realia tendunt. Realia sunt immutabilia, sola permutatio Realium in una eademque re est mutatio in genere. Permutatio in qualibet re oritur e tendentia Realium se conservandi et contra turbationes ab extra provenientes se defendendi. In eo etiam rerum efficientia consistit.

c) In Synechologia continuum et conceptum materiae explicare studet. Quum sint Realia simplicia, possint se invicem compenetrare, quia se autem conservare student, reagunt contra talem plenam compenetrationem. Si vis attractiva et repulsiva Realium se exaequant, oritur atomus, moles. Sed continuum non est nisi illusio et materia nihil aliud nisi summa Realium, quae propter exaequantem relationem virium attractivarum et repulsivarum tamquam continuum apparet. Propterea tempus et spatium non sunt aliquid reale, sed obiectiva illusio; quum enim Realia conglomerata existant, in spatio et tempore extensa esse videntur.

d) Anima humana est Reale centrale, est absoluta, simplex, incorruptibilis. Anima non est forma corporis, quia quodlibet Reale propriam vitam habet, neque in eo activitas transiens existit. Anima habitat tantum in corpore et quidem in cerebro et per nervorum complexionem ad instar parasitae corpori est implantata. — Anima non habet potentias neque indoles. Efficientia eius prout cuiuscunque Realis consistit in sui conservatione; singulae conservationes in anima sunt repraesentationes, ideae. Processus cognoscitivus est sequens: Si sensus affectus fuerit, affectio, quae est motus, per nervos ad cerebrum deducitur, ad Reale animae. Realia animae contigua per motum excitata eandem penetrare conantur. Anima resistit et se conservare studet; singulae conservationes sunt ideae, quae aut identicae sunt aut eiusdem speciei et tunc uniuntur, aut vero contrariae sunt et tunc invicem impediunt et ligant. Ideae infirmae a firmioribus pro gradu infirmitatis sub limen conscientiae deprimuntur. Ideae depressae obscure et quasi latenter operantur et oriuntur affectus, si tendunt iterum ad conscientiam prodire, oritur appetitus; si tendentia firmior est et cum verosimilitudine coniuncta, in futuro ideam actualem fieri posse, adest cupido, et si denique tendentia cum spe est coniuncta, ideam in praesenti tamquam dominantem prodire posse, adest velle. — Libertas voluntatis non est libertas eligendi, acsi in medio quasi essemus inter rationem et inter cupidinem, quum hae duae a nobis non sint diversae; sed est communis activitas rationis et cupidinis et quum hae a nobis non sint distinctae neque extraneae, actio vere tamquam nostra propria et non aliena apparet, ideo vere libera — libertas a coactione, non vero libertas indifferentiae. — Anima propriam vitam habet, corpus in eam negative tantum influit. Quare et post mortem corporis existere potest, imo post mortem obscurissimae ideae cum tota claritate sua in conscientiam prodeunt et laetiorem vitam causant, quia corpore non amplius impedinutur.

e) Deus necessario existit, quia nemo potuit admirabiles relationes, praeprimis in organismis altioris ordinis, disponere nisi Deus. Sed essentiam Dei cognoscere non possumus et propterea quoad hanc rem ad fidem est recurrendum. Indigentiae religiosae est, ut nobis Deum tamquam omnipotentem, omniscium, sapientissimum, optimum etc. repraesentemus, imo ipsi proprietatem personalitatis attribuamus, sed ratio haec demonstrare non valet et ideas tales anthropomorphismos dicere debet, qui utique a parte fidei necessarii sunt.

f) Bonum morale consistit in harmonia voluntatis cum iudicio, estque insimul virtus idealiter spectata et vera libertas moralis. Ius est complexus relationum, quae e contractibus proveniunt.

Herbart in sua doctrina multum usus est formulis mathematicis, quare multi mathematici et philosophi recentiores systema eius adoptarunt. Eminent inter eos: Guillelmus Drobisch (Erste Grundlinien der mathematischen Psychologie, Lipsiae 1850), Gustavus Lindner (Lehrbuch der empirischen Psychologie), Robertus Zimmermann (Philosophische Propaedeutik, Logik, Empyrische Psychologie, ed. 3. 1867), qui ultimi duo ad Herbartii philosophiam in Austria propagandam maxime contulerunt; Iosephus Durdík, philosophiae professor in universitate boh. Pragensi (Psychologie, ed. 4. 1893).

4. Fridericus Eduardus Beneke, Berolinensis, nat. 1798, docuit in universitate urbis patriae, sed propter opus „de physica morum“ munere privatus est. Posterius professor extraordinarius nominatus in hoc munere permansit usque ad obitum an. 1854.

Hypothesim Herbartii de „conservationibus“ rejicit et propius ad monadologiam Leibnizii accedit. Psychologiam dicit esse scientiam naturalem, quae sicut ceterae scientiae naturales observationi inniti debet, e singulis phaenomenis leges universales inductione deducendo et simul singulas vires in phaenomenis operantes inquirendo. Quod tamen solum de methodo psychologiam tractandi valet Obiectum psychologiae — anima — cum suiconscientia limites scientiae naturalis transcendit. — Anima non est substantia simplex, sed complexus primarum potentiarum, quae tam sunt firmae, ut animae perduratio post mortem corporis nullo modo addubitari possit. — Fontes scientiae psychologicae sunt: biographiae, confessiones, opera historica etc., e quibus ad qualitates animarum singularum et deinde per inductionem ad qualitatem animae humanae in genere concluditur. De potentiis animae vera quidem docet, sed quomodo tales potentiae sine subiecto, cui inhaereant, operari possent, non intelligitur. Opus eius: „Lehrbuch der Psychologie“ (Berolini 1833) late propagatum est et doctrina eius multos paedagogos sectatores habuit, inter quos et Fridericus Überweg refertur.

5. Adolphus Trendelenburg, Eutinensis, nat. 1802, philosophiae professor Berolini, ubi mortem obiit an. 1873. Opposite ad scholam Hegelianam propius ad Aristotelem accedere

tentavit et suo scripto: „Excerpta ex organo Aristotelis“ ad studia Aristotelis restauranda multum contulit. Sed doctrina eius in multis ab aristotelica differt. Prout aether, sonus, calor motus sunt, ita dicit Cogitare esse moveri. Quivis motus ab alio differt et res differentes producit, quod ad notionem categoriae causalitatis ducit; porro semper aliquid movetur, et hoc aliquid categoria materiae est; his categoriis categoriae formae, spatii, qualitatis et quantitatis accedunt. Stylo pulchro et perspicuo ostendit, quomodo in toto universo idea teleologica appareat. Quum omnia ad finem praestitutum tendant, inter tendentiam partium sensitivarum et spiritum oppositio oritur. Moralitas consistit in eo, ut homo naturalis spirituali se subjiciat, quod voluntatis libertatem postulat. — Deus non potest ratione e mundo directe cognosci, valet igitur principium: „Deus nesciendo scitur.“ Trendelenburg philosophis materialisticis et idealisticis valde eo praeeminet, quod ideam teleologiae in universo strenue defendat, sed nimis asserit, quum etiam animam humanam ad meram ideam teleologicam deprimat.

6. Hermannus Lotze, professor philosophiae Gottingae (1817—1881), atomismi quidem sectator, qui tamen differentiam animae a corpore docuit, eiusque existentiam et individualitatem imprimis e suiconscientia probavit. In doctrina atomistica Herbartium et Leibnizium magistros sequitur. Totum universum — dicit — animatum est, atomi sunt entia spiritualia, quae per infinitum ad unitatem substantialem copulantur. Sic modo, etsi realismum sectetur, ad pantheismum devenit.

7. Gustavus Fechner (1801—1887), Moscoviensis, docuit Lipsiae. Summa doctrinae eius est: Deus animat mundum universum; res mundi sunt phaenomena tantum. Leges horum phaenomenorum scientia naturalis inquirere debet. Mundus constat ex atomis, qui tamen non sunt monades, sed phaenomena solum — centra virium. Fechner auctor est Psychophysicae, i. e. methodi celeritatem et intensivitatem sensationum mensurandi (cf lex Weber). Sectatus est eum Hermannus Ulrici, professor Halensis, qui vim universalem tamquam principium unionis inter omnia virium centra posuit, Dei transcendentiam agnovit et sic Fechneri pantheismum evitavit.

§ 31. Positivismus.

Auctor positivismi est Augustus Comte, Montpelliensis, ortus 1798 e parentibus catholicis, monarchiae addictis. Frequentavit scholam polytechnicam 1814 Parisiis, ubi praesertim studiis

naturalibus occupabatur. Anno 1818 associatus est sectae S. Simonistarum, sed mox eam deseruit et propriam scholam philosophicam et religiosam condidit, quam positivisticam nominavit. Opera eius praecipua sunt: „Cours de philosophie positive (1830—40), Catechisme positive, ou sommaire exposition de la religion universelle (1852) et alia. Se ipsum appellavit magnum humanitatis pontificem, dogmata proclamabat, catechismum doctrinae suae religiosae edidit, matrimonia benedixit et mulierem quandam redamatam honore quasi divino veneratus est. Mortem obiit an. 1857 Parisiis, exceptis nonnullis discipulis, ceterum a mundo derelictus. Discipulus eius Ernestus Littré, Parisiensis (1801—1881), medicus, doctrinam magistri in systema completum redegit et ad propagationem positivismi maxime contulit. Principia huius doctrinae, nostris diebus sat vulgatae, sunt:

a) Cognitio humana occupari debet iis tantum, quae data vel posita sunt et quae ex experientia et consideratione mundi hauriuntur. Per considerationem facta naturae et historiae colliguntur et philosophiae positivae officium est, via inductionis ex his factis leges universales et facta universalia deducere. Causas, essentias et finem rerum philosophia positiva non inquirit. Quae praeter phaenomena ex immutabilibus legibus naturae necessario sequerentur, philosophia positiva neque considerat neque de eis quid affirmat vel negat, quum de talibus nihil sciamus. Quae experimentaliter inquiri non possunt, a scientia excludenda sunt. Existunt sex species scientiarum: Mathematica, Astronomia, Physica, Chimica, Biologia et Sociologia.

b) Genus humanum per tria stadia evolutionis intellectualis ad statum culturae praesentem devenit, quae stadia in vita cuiuslibet hominis exculti recurrunt. Primum stadium adest, quum homo phaenomena naturalia causis supranaturalibus personalibus attribuat — Theologismus: secundum stadium, quum causis naturalibus causas abstractas, absconditas, rerum essentias, causas primas, efficientes et finales substituat — Metaphysicismus; in stadio vel gradu culturae tertio eas per leges vel per facta universalia explicat, e quibus necessario sequuntur — Positivismus. Secundum haec stadia homo primum causas phaenomenorum in mundo operantes supranaturales putabat et adorabat: Fetischismus, deinde progressus est ad Polytheismum, quum deitates in quasdam classes divisisset, denique ad unum agens supremum se elevavit — Monotheismus. Postea labentibus saeculis inde a saec. XV. genus humanum ad Me-

taphysicismum pervenit, quum causam illam phaenomenorum in „essentia", „natura", „vi" etc. poneret. In praesenti ad gradum ultimum, ad Positivismum ascendit, qui unice veram praebet cognitionem. Stadia antecedentia erant necessarii gradus praeparationis, in praesenti vero solummodo historico momento gaudent.

c) In Psychologia phrenologiae Gallii sectator existit.

d) In Morali summum principium habet exercitium universalis dilectionis hominum — vivre pour l'autrui — Altruismus opposite ad Egoismum. Pro Deo colenda est humanitas „Grand être," colenda ingenia, homines excellentes — cultus hominum.

Positivismus non admittit quidem principia metaphysica et tamen a particulari ad universale concludit, quod sine principiis metaphysicis fieri non potest; porro universale non est aliquid sensibile, quod ex experientia hauriri posset, sed est supra naturam, supra ea, quae data vel posita sunt, est transcendentale, metaphysicum. Patet igitur Positivismum sibi contradicere; sed contradicit et historiae quoad sua stadia evolutionis culturae humanae, quia constat, omnes gentes originetenus unam Deitatem coluise et demum temporis decursu nad Polytheismum prolapsas fuisse. Praecipui sectatores Positivismi sunt: H. Taine, Gallus; Ioannes Stuart-Mill, Londinensis (1806—1873), Herbertus Spencer, Anglus; Alexander Bain et multi alii nostrorum dierum, qui materialismo mitiori adhaerent.

§ 32. Scepticismus.

Sceptici vocantur, qui certitudinem cognitionis humanae addubitant aut vero prorsus negant. Inter eos eminent:

1. Georgius Berkeley, Kilkrinensis, Hibernus, nat. an. 1684, obiit an. 1753 tamquam episcopus anglicanus Cloynensis. Studuit theologiae Dublinii et varias Europae regiones paragravit. — Incipit a phaenomenis lucis et dicit ea solummodo subiectivas repraesentationes esse. Realiter existunt sola entia, quae cogitant — spiritus. Apprehensiones et sensationes non possunt procedere a materia, quia materia non potest dare, quod non habet. Nihilominus dictat conscientia nostra, sensationes quidem in nobis esse, sed non esse a nobis, quum ideo neque a materia neque a nobis sint, debent esse a Deo, in quo tamquam ideae exemplares existunt et animo nostro imprimuntur. Corpus et spiritus sunt substantiae heterogeneae, quae invicem tangere non possunt; omnis propterea mundus sensibilis non est nisi, subiectiva successio idearum nostrarum, quarum et causa efficiens et valor obiectivus Deus est.

2. David Hume, Edinburgensis, 1711—1776, mercator et secretarius legationis Anglicae Parisiis.

a) Hume negat omnem valorem obiectivum cognitionis humanae intellectualis. Apprehensiones nostrae sunt impressiones sensibiles vel reflexiones ad has impressiones. Idea tot valet ac impressio, imo debilior est impressione. Ideae universales non habent realitatem, cognoscere non est, nisi impressiones sensibiles coniungere.

b) Coniunctiones et impressiones fiunt eo modo, quod aut una idea ex alia derivetur, quo oritur iudicium analyticum, quod igitur nullam obiectivam realitatem habet, aut vero e singulis factis ope principii causalitatis iudicio synthetico ad universale concludatur. Sed principium causalitatis illusorium est, quia rectitudo eius neque a priori probari potest, quum causa ab effectu differat et propterea e notione causae ad effectum concludi nequit, — ante effectum enim causa non aderat, — sed neque a posteriori ex experientia, quum experientia de successione tantum singulorum phaenomenorum testetur, non vero de eorum connexione. Connexio inter causam et effectum, quam supponimus, fundatur in consuetudine et praeiudicio, futurum praeterito simile fore. Ideo neque cognitio via syntheseos acquisita realitate obiectiva gaudet.

c) Notio Dei et substantiae nullum valorem obiectivum habent. De existentia rerum edocent nos impressiones sensibiles, quas ad res externas referimus. Hoc fit per instinctum sensualitatis, quem Hume „fidem" nominat.

Caput II.

De Rationalismo.

§ 33. Rationalismi auctores.

1. René Descartes (Renatus Cartesius), natus La Hayae Turonum an. 1596, studuit philosophiae, theologiae, mathesi et physicae. Parisiis in familiis nobilium conversatus est, ut vitam socialem cognosceret. Ex eadem causa rei militari operam dedit et ducibus Mauritio Auranianensi, Tilly et Bouquoi Germaniam, Italiam, Bohemiam peragravit, denique in Bataviam secessit ibique sua praecipua opera: „Meditationes de prima philosophia" et „Principia philosophiae" conscripsit. A Christina, Sueciae regina, Holmiam vocatus, ibidem mortem obiit an. 1650.

a) Fundamentum systematis Cartesii est principium: „Cogito ergo sum". Sensus — dicebat — nos aut fallere aut ipsi falli possunt, unicum est, quod constat: si cogito, ergo etiam sum necessario; Si dubitare vellem de cogitando, deberet hoc iam cogitando fieri. Principium adductum ergo nullo modo addubitari potest. Per „cogito" totam intellectualem operationem intelligebat. Ipsum et omnia, quae cum eo cohaerent indivisibiliter, dicebat esse propter suam claritatem inconcussum fundamentum omnis certitudinis et firmum criterium veritatis. Quod ideo per ideam claram et distinctam cognoscitur, verum est. — Homo prae aliis clare et distincte cognoscit, se esse substantiam immaterialem, quia cogitare potest; porro cognoscit, se esse, qui cogitat, ergo se existere; cognoscit suam existentiam et essentiam.

b) Idea Dei homini item clara est; est ipsi innata. Quare homo clare Dei existentiam cognoscit et si ideam Dei dissolvit, cognoscit facile Deum infinite perfectum esse debere. Quam autem ideam homo producere non potuit, sed ea a Deo, ente perfectissimo, originem habere debet. — Adhuc alia argumenta pro Dei existentia adduci possunt. In rebus clare cognoscimus limitationem et contingentiam, e quibus ad illimitatum et absolutum concludere debemus. Homo aeque limitatus est et propterea a se esse non potest. Si esset a se, ipse sibi omnes perfectiones dedisset, et neque optaret, neque appeteret, neque dubitaret.

c) Mundus existit et est cognoscibilis, quia supponi non potest, Deum, ens veracissimum, genus humanum perpetuae illusioni quoad mundum realem exposuisse. Cognitio intellectualis est innata. Ideae sunt aut adventitiae, quae ab extra per sensus in animam intrant. res corporeas repraesentant, individuales sunt vel ad summum collectivae, nunquam autem universales, aut vero sunt factitiae, quae formantur ope imaginationis, aut denique ideae innatae, quae inde a nativitate in anima existunt et per quas cognoscimus nos ipsos, Deum, omnes veritates aeternas, necessarias, immutabiles et omnes veritates universales, prout „esse, essentias, naturas, bonum, verum" etc. Ideae innatae obiective verae sunt, quod e veracitate Dei erui potest, secundum quam Deus vult, ut ideae rebus respondeant. Apprehensio sensitiva est occasio verae cognitionis per ideas innatas.

Voluntate ideae ad obiecta externa applicantur, quod per iudicium fit; iudicium autem solum tunc verum est, si idea clara est et distincta: sequitur exinde, errorem semper a voluntate procedere. Voluntas debet se subiicere rationis directioni. In Deo solo libera voluntas stella rectrix omnis cognitionis est. — Unica est vero sensu substantia, quae est Deus, qui unice nemine ad suam existentiam indiget. Infinitas eius a nobis quidem positive cognoscitur, sed non comprehenditur. — Mundus constat ex atomis, qui materiam corpoream constituunt et unicam proprietatem habent, scil. extensionem. — Omnis activitas et mutatio in rebus principio materiae extraneo, i. e. Deo, attribui debet, qui motum in rebus causat. Animalia mera automata sunt. Materia in infinitum divisibilis est. Deus in materia infinite divisa in principio motum circularem causavit, vi cuius e mole chaotica corpora orta sunt. Spatium vacuum non existit neque existere potest, quia spatium solum ibi esse potest, ubi adest extensio, i. e. materia et haec est infinita. Doctrina de teleologia falsa est; non existunt in mundo causae finales sed tantum efficientes.

d) Anima humana est spiritualiter simplex, essentia eius consistit in actualiter cogitando. Vita vegetativa et sensitiva ad corpus pertinet, sed anima corporalis vel animalis non potest admitti, quia in natura nullae formae substantiales existunt. Corpus est automatum, anima habitat in eo, quin cum eo ad unitatem substantialem coniungatur. Principium corpus movens est calor, cuius sedes cor est.

Calore producuntur e sanguine spiritus vitales, qui in cerebrum et nervos ascendunt, qua ratione sensatio et motus in corpore gignuntur. Anima creata est a Deo et in corpus inclusa; sedes eius est in glandula cerebri. Inter corpus et animam contactus mutuus in eo consistit, quod anima sensationem per commotionem spirituum vitalium excitatam recipiat, quum ex altera parte activitas animae in corpus influat. Contactus hic est solum causa occasionalis cogitationis quoad animam et operationis vegetativae et sensitivae quoad corpus. — Libertatem voluntatis libertatem indifferentiae quidem dicit, sed eam eo sensu intelligit, quod voluntas libera sit a coactione externa, non autem a necessitate interna, quia voluntas motivis ad agendum determinetur. Libertas indifferentiae est aut negativa, quum omnia desint motiva, quae voluntatem ad agendum determinare possint, quae libertas soli Deo competit; aut positiva, quae est facultas iuxta motivum determinans, ut eligatur unum e duobus oppositis, quae libertas homini competit.

e) In Ethica summum bonum et summam beatitudinem virtutem et animi quietem esse dicit. Ad quietem animi homo

semper tendere debet. Suprema virtus est dilectio Dei, quia supremam pacem et quietem animae suppeditat.

2. Arnoldus Geulinx, Antwerpiensis, nat. an. 1625, obiit an. 1669, professor philosophiae Lovanii et Lugduni. Docuit:

Id, quod est causa suae operationis, debet scire, quomodo haec operatio oriatur. Quod tamen neque anima neque corpus scit, quare auctores suae operationis esse non possunt; Deus solus est, qui corpus movet et ideas in anima producit. Ipse veracitate sua et omniscientia efficit, ut mutationes in mundo corporali mutationibus in mundo spirituali respondeant. Systema suum, quod occasionalismus audit, exponit in duobus scriptis: „Annotata praecurrentia" et „Annotata maiora in principia philosophiae Renati Cartesii".

3. Thomas Reid, Aberdeensis, nat. an. 1710, obiit 1796, professor philosophiae Glasgoviae, auctor sic dictae scholae scoticae, quae contra scepticismum Humii pugnavit.

Summa doctrinae eius est: Existunt quaedam principia in natura ipsa fundata, quidam instinctus naturae, quem „sensum naturae communem" (common sense) nominat. Secundum hunc sensum tota vita hominis instituitur, eum negare vel addubitare non est philosophicum. Sensus communis dirigit cogitationes nostras et rationis est, ex eius principiis conclusiones deducere. Eius infallibilitas constat ex eo, quod a Deo, veraci et infallibili naturae auctore, inditus sit. Per hunc sensum communem constat nobis de existentia rerum mundanarum, nostri proprii corporis et Dei, creatoris et gubernatoris.

Verum quidem est, philosophiam, quumprimum a principiis sanae rationis aberraverit, philosophiam denuo non esse, attamen non est verum, acsi sanae rationis principia in coeco instinctu consisterent; e contrario nos de veritate principiorum sanae rationis nobis certe persuadere possumus.

§ 34. Criticismus Kantianus.

1. Immanuel Kant, Regiomontanus, nat. an. 1724, professor philosophiae in patria universitate, mortem obiit an. 1804. Initio Wolffio adhaesit, deinde autem, quum opera Humii et Rousseaui legisset, facultates animi humani quoad earum obiectivum valorem critice examinare proposuit et anno 1781 primum opus suum: „Kritik der reinen Vernunft" edidit. Ex opere elucet, eum philosophiam Graecorum et Scholasticorum non legisse. Praeter opus de critica rationis purae edidit aliud de critica rationis practicae

(Kritik der praktischen Vernunft), et criticam facultatis iudicandi (Kritik der Urtheilskraft). Ratio philosophiae eius doctrinae hucusque communiter vigenti opponitur. Omnes enim philosophi ante eum, paucis exceptis, docuerunt, cognitionem nostram dirigi rebus, qui sensus nostros afficiunt; Kant e contra asserit, cognitionem nostram esse merum productum animi, quod ad res applicamus, ita ut res quasi cognitione nostra dirigantur.

Facultates intellectuales dividit in rationem theoreticam, practicam et facultatem iudicandi. Rationem theoreticam iterum dividit in facultatem apprehensivam, per quam ex experientia repraesentationes acquirimus, in intellectum, per quem formamus conceptus, in rationem, per quam conceptus in unitatem scientificam ordinis altioris coniungimus.

a) In critica rationis purae agnoscit iudicia a priori, quae a sola ratione concipiuntur et universalia sunt et necessaria; iudicia a posteriori, quae ex experientia hauriuntur et sunt particularia et contingentia; iudicia analytica, in quibus praedicatum continetur in subiecto et quae conceptus tantum explicant; iudicia synthetica, in quibus praedicatum in subiecto non continetur, quae ideo conferunt ad cognitionem ampliandam.

Iudicia synthetica hauriuntur aut solummodo ex experientia et tunc sunt a posteriori aut sunt a priori, universalia et necessaria; sed nunquam sunt mere aprioristica, quia semper aliquid ex experientia admixtum habent. Neque mere aposterioristica sunt, quia sunt universalia et necessaria, quum experientia solum particularia et contingentia apprehendat. Habent ideoque ab obiecto materiam et a subiecto formam, per quam characterem universalitatis et necessitatis participant. Ex hoc elucet, in ratione nostra formas vacuas immanentes adesse, quae sunt conditiones primariae cognitionis nostrae, et quae accedente materia implentur. Hae formae sunt α) in facultate apprehensiva: spatium tamquam forma sensus externi et tempus tamquam forma sensus interni, β) in intellectu: categoriae quantitatis, qualitatis, relationis et modalitatis, nam ab apprehensione procedimus ad cognitionem, si apprehensiones vel ideas in iudicia copulamus; sed quodcunque iudicium suam habet quantitatem, qualitatem, relationem et modalitatem, unde formae intellectus adductae explicantur. His categoriis aliae subordinantur. Quantitas enim, prout iudicium aut singulare aut universale est, comprehendit: unitatem, multitudinem, universitatem; qualitas prout iudicium est vel affirmativum vel negativum vel modale: realitatem,

negationem, limitationem; relatio, prout iudicium aut categoricum aut hypotheticum aut disiunctivum est, comprehendit substantialitatem et inhaerentiam, causalitatem et dependentiam, communitatem et mutuitatem; modalitas, prout iudicium aut problematicum aut assertorium vel necessarium est, comprehendit: possibilitatem, existentiam, necessitatem. Omnes hae categoriae sunt essentiales formae a priori intellectus nostri. γ) Rationis formae essentiales sunt ideae sequentes: psychologica, nam ratiocinium categoricum, quod in substantialitate et inhaerentia fundatur, perducit denique ad ideam subiecti absoluti, quod non est ulterius praedicatum alterius; idea cosmologica, nam ratiocinium hypotheticum, quod in categoria causalitatis et dependentiae fundatur, denique ad ideam absolutae dependentiae singularium ab independente perducit; et idea theologica, quia syllogismus disiunctivus, qui in categoria communitatis et mutuitatis fundatur, ad absolutam ducit unitatem omnium realitatum et perfectionum. — Hae omnes ideae sunt subiectivae tantum, quae nullum obiectivum valorem habent. Cognitio nostra ad sola phaenomena pertingit, noumenon rerum, quod phaenomenis substat, nobis prorsus est ignotum. Nihil scimus de substantia in genere, de essentia animae nostrae, de mundo, de Deo, quod obiective valeret. — Metaphysica secundum Kantium est impossibilis. Suiconscientia haeret in reflexione ideae psychologicae, in qua operatione tamen notio substantiae, personae et sic porro iam praesupponitur, ita ut omnis hic processus in paralogismis consistat, quin aliquid demonstret. Psychologia metaphysica figmentum est, quia neque probari neque redargui potest, non enim obiectivam realitatem habet. Idem valet de idea cosmologica, quae illusiones naturales obiectivas facit, unde contradictiones de mundi origine et aeternitate, de compositione e partibus et simplicitate et sic porro oriantur. Quae contradictiones removentur, si mundus pro mero phaenomeno habetur.

Idea theologica, quae est complexus omnium possibilium realitatum et perfectionum, tamquam forma rationis prototypa obiectivatur, personificatur, ad modum hypostasis repraesentatur, quod fit per argumenta pro Dei existentia; sed etiam hoc mera est illusio sine valore demonstrativo.

b) Suprema lex rationis practicae est: Age sic, ut principium voluntatis simul principium legislationis universalis esse possit. Non ideo lex moralis in instinctu felicitatis vel in amore sui consistit, sed principium morale quoad originem e sublimiori principio, scil. e lege naturali derivatur: Potes, quia debes — imperativus categoricus. Huic legi subduntur omnes creaturae rationales et sunt simul liberae, quia sibi consciae sunt propriae naturae et existentiae in intelligibili rerum ordine. Hoc „debes" formale est principium in iudiciis practicis, bonum autem est in iisdem principium materiale; aeque ac in iudiciis syntheticis. Ut igitur actio moralis sit, necesse, ut nullo respectu habito boni prodeat e principio formali, lege scil. morali. Exinde sequitur: α) hominem autonomum esse et sibi ipsi leges imponere, β) hanc legem naturam imperativi induere debere, ut sensualitas vincatur, γ) imperativum debere esse categoricum, ita ut moralem actionem imperet non tamquam medium ad bonum vel ad beatitudinem, sed propter semetipsam „officium mere propter officium." — Quae lex tria principia theoretica tamquam necessaria postulata rationis practicae supponit, quia sine iis operatio moralis agnosci non posset. Suntque haec tria principia α) existentia liberi arbitrii, quo sibi homo sine coactione externa legem moralem obligantem imponit, β) immortalitas animae, quia summa virtutis perfectio et beatitudo, quae ab ea dependet, solum per infinitum progressum attingi potest, quod existentiam personalem in infinitum duraturam postulat, γ) existentia causae supremae intelligentis et volentis, quae harmoniam perficiet inter virtutem et beatitudinem, quae in hoc mundo inveniri non potest — necessitas existentiae Dei, quia sine hoc postulato rationis practicae moralitas impossibilis esset. Quod igitur ratio theoretica non agnoscit, postulat ratio practica, quin tamen obiectivam realitatem agnoscat.

c) Obligatio legis iuridicae oritur aeque ac legis moralis e solo principio formali cum discrimine, quod lex moralis actiones internas respiciat, lex iuridica autem externas; obligat igitur lex moralis solum interne, lex iuridica solum externe. Ius secundum Kant definiri potest: „Summa conditionum, sub quibus liberum arbitrium unius cum libero arbitrio alterius iuxta universalem legem libertatis uniri potest." — Respublica fundatur in contractibus mutuis, quibus se singulus libertate individuali privat propter bonum commune. Potestas suprema in populo haeret.

d) Facultas iudicandi iuxta Kantiam est potentia, particulare cogitari tamquam contentum in universali, estque aut determinans, si progreditur intellectus ab universali ad particulare aut vero reflectens, si a particulari ad universale ascen-

dit; medium occupat locum inter rationem puram et practicam. Ratio pura cognoscit naturale, universale, necessarium; practica vero: particulare, contingens, liberum. Ut ratio a contingente, particulari, libero ad necessarium, naturale, universale pertingere possit, indiget principio directivo, quod est idea finis, quae ad unitatem universalitatis ducit et est quasi pons, qui mundum necessarium a ratione repraesentatum cum mundo morali, in quo dominatur libertas, coniungit. Idea finis duplex elementum includit: finalitatem subiectivam, formalem, i. e. conformitatem formae rei cum repraesentatione, quo casu facultas iudicandi aesthetica audit et finalitatem obiectivam, materialem, i. e. conformitatem rerum cum ideis, notionibus earum, et tunc appellatur teleologica. Obiectum facultatis iudicandi aestheticae est pulchrum, quod propter suam cum facultate hominis repraesentativa conformitatem placet. Obiectum facultatis teleologicae sunt creaturae quoad earum obiective propriam finalitatem. Quae finalitas aut est externa, in quantum res una alteri proficit, aut interna, in quantum in qualibet re quaevis pars suum finem habet, quae ultima finalitas solis creaturis organicis competit. Has praeprimis facultas iudicandi teleologica considerat.

c) Religio intra limites rationis purae a Kantio mere rationalistice et naturalistice explicatur. Religionem nihil aliud esse asserit, quam ethicam, in quantum nobis Deum tamquam legislatorem repraesentamus. Finem ethicae, quod est beatitudo tamquam summum bonum, a Deo adipisci possumus, ideoque internam legem moralem pro lege divina habemus, qua agendi ratione religio oriatur. Non oritur ergo ethica e religione, sed e contra tum religio tum idea immortalitatis et Dei e lege morali tamquam dictamine rationis practicae pullulant. Quo principio statuto omnia mysteria christiana rationalistice explicare satagit. Dicit enim, negari non posse, in homine naturaliter quandam aversionem a lege morali adesse — principium malum contra principium bonum, — quod saepissimae et facillime per mali propagationem hereditariam explicetur: peccatum originale. Quum sui dilectio fons sit mali, oritur necessitas renovationis internae: iustificatio. „Filius Dei“ est exemplar universae perfectionis moralis. Ut igitur s. Scriptura ostenderet, hoc exemplar revera in ratione nostra adesse, dicit, Christum de coelo descendisse et incarnatum esse. Ideale hoc exemplar homo personificat, ut illud in vita sequatur. — Hominis est, huic typo omnis perfectionis magis magisque se assimilari. Quod ut fieri

possit, propter inclinationem hominis ad malum et propter varia impedimenta, quae singulis individuis a hominibus ponuntur, transeundum est a pugna mali cum bono in singulis ad statum societatis, quae legibus religiosis dirigitur. Haec societas ecclesia est, quae solummodo a Deo regi debet. Ipsa est regnum Dei, quatenus in ea leges morales mandata Dei, i. e. religionis officia habentur. Quod regnum iuxta hominis naturam visibile esse debet. In ecclesia et instituta traditionalia necessaria sunt, sed non debent praevalere, secus ecclesia in hierocratiam (Pfaffenthum) mutatur. Notae verae ecclesiae iuxta singulas categorias sunt: Categoriae quantitatis respondet catholicitas, categoriae qualitatis: puritas, i. e., quod in ea solum stricte moralia et rationi conformia motiva dominentur, categoriae relationis: libertas eam introeundi, categoriae modalitatis respondet immutabilitas, quia fundamenta rationalia necessaria sunt. Ecclesia est medium puram moralitatem secundum principia rationis practicae adipiscendi, unde sequitur, eum, qui iam stadium moralitatis purae adeptus fuerit, religionem et ecclesiam abiicere posse.

2. Kantii doctrina omni naturali rationi contraria et religioni et ecclesiae nimis iniuriosa, sed stylo fucoso conscripta et scientiae profundae speciem prae se ferens a multis adoptata, summis laudibus celebrata et varie explicata est, ita ut mox omnes Germaniae Academias occupaverit. Sectati sunt eam: Reinhold, Beck, Fries, Krug, Fridericus Schiller et multi alii usque ad diem hodiernum; impugnarunt eam: Herder, Schulze, Iacobi, Pavlicki et alii.

§ 35. **Pantheismus.**

Pantheistarum alii dicebant, unicam, quae existat, substantiam sui manifestatione fieri omnia, alii sui evolutione, alii denique eandem sui determinatione constituere omnia, in genera, species et individua divisa. Exinde dividitur Pantheismus: in Pantheismum manifestationis, evolutionis et in Pantheismum logicum vel Panlogismum. Pantheismi manifestationis sectator est:

1. Baruch Spinoza, natus an. 1632 Amstelodami, Iudaeus, sed propter doctrinas, quae Iudaeis suae patriae minus placebant, e synagoga excommunicatus. Multum studuit mathesi et philosophiae, munus professoris philosophiae in universitate Heydelbergensi recusavit et opera manuum suarum vixit, placita philosophica scribens usque ad obitum an. 1677.

Summa doctrinae eius pantheisticae versatur circa notionem

substantiae et cum ea cohaerentium definitionum attributorum et modorum.

a) Substantiam Spinoza nominat, quod ad subsistendum nullo alio indiget. „Per substantiam — dicit — intelligo id, quod in se est et per se concipitur, i. e. cuius conceptus non indiget conceptu alterius rei, a qua formari debeat.

Ex hac notione sequitur, unicam solummodo posse esse substantiam, quae est illimitata. Quia illimitata est, nullis conceptibus potest limitari, quod idem est, ac eam a nulla re in mundo posse excludi, nam omnis exclusio vel determinatio est negatio. Haec unica, illimitata, infinita et ideo absoluta substantia Deus est. Quia autem unica est, omnia alia entia tum spiritualia cum corporalia ad eam pertinent tamquam

b) attributa et quidem attributa cogitationis et extensionis. Haec attributa catenus solum distincta sunt, quatenus quodlibet eorum suo modo essentiam eiusdem unius substantiae exprimit, ceterum autem sunt unica et eadem substantia. Affectiones huius substantiae vocantur

c) modi, qui sunt individua, quae independenter operari videntur, quum autem operatio eorum nihil aliud sit, quam affectio illius unicae substantiae hoc modo se manifestantis. Haec substantia unice libere operatur et omnia in individuis efficit, quae putantur, se libere operari, quia cognoscunt suum velle et suas operationes, sed causam determinantem ignorant. Tribus principiis allatis respondent:

d) Tres species cognitionis: α) cognitio primi generis: imaginatio, quae ex experientia et phantasia haurit et per quam ideae confusae et incompletae oriuntur, β) cognitio secundi generis: ratio, quae conceptus universales et aliquam cognitionem attributorum Dei suppeditat, γ) cognitio tertii generis: intuitio, quae completam cognitionem attributorum, substantiae Dei et mundi praebet. Per imaginationem manifestavit se Deus in prophetis, per rationem et intuitionem in Christo, qui ergo vere est vox Dei et apparitio Dei in terra.

e) Quia entia non sunt libera, differentia inter bonum et malum logica est tantum; bonum appellamus, quod nobis utile est et nostrum esse conservat, malum, quod est nobis nocivum. Utilissima est cognitio, nos unum esse cum absoluta substantia, unde amor Dei, qui non est nisi amor Dei ad se ipsum, et summa felicitas oriuntur. Si nobis conscii sumus operationis secundum ordinem substantiae absolutae, oritur exinde pro nobis quies,

quae est praemium operationis: „Beatitudo non est virtutis praemium, sed ipsa virtus".

f) In statu naturali neque bonum neque malum existit, et si semper rationis dictamen sequeremur, omnia ordinata essent, quia autem saepe affectus sequimur, necessaria est respublica, quae debet determinare, quae sint utilia et quae nociva, et etiam per poenas cogere, ut fiant, quae utilia sunt communitati: „terret vulgus nisi paveat".

Haec sua placita Spinoza in duobus operibus praecipuis proponit: „Ethica ordine geometrico demonstrata et in quinque partes distincta" et „Tractatus theologico-politicus".

Propugnatores Pantheismi evolutionistici sunt Fichte et Schelling.

2. Ioannes Theophilus Fichte, Rammenaviensis in Lusatia, natus a. 1762, studuit theologiae Ienae, docuit philosophiam in eadem urbe (1794) ibique annuarium philosophicum edebat; propter quemdam tractatum atheismi accusatus munere privatus est; petiit Berolinum ibique praelectiones habuit; an. 1805 professor Erlangae, posterius 1809 Berolini exstitit, ubi et ultimum diem obiit an. 1844.

a) Fichte initio Kantio adhaesit. Kantii effatum, non esse impossibile, quod „ego" et „res in se" una eademque substantia esse possint, adoptavit, et asseruit; „rem in se" revera nostrum „ego" esse, ideo omnes nostras ideas non esse nisi subiectivos effectus nostri „ego", quibus nulla a nobis distincta „res in se" respondeat. Principium hoc fundamentale est totius doctrinae eius.

Systema suum modo sequenti evolvit: Si apprehendimus e. g. colorem, extensionem, resistentiam, apprehendimus in veritate solummodo affectiones nostras, quas in aliquod subiectum transferimus et propterea, quia hoc facimus, nos ipsi sumus, qui proprium alii attribuimus, i. e. totus processus est mere subiectivus. Si igitur aliquod obiectum cognoscimus, proprium „ego" ponimus. „Res in se" tu ipse es, qui egressus es ex teipso, qui te obiectivasti; omnia, quae vides extra te, tu ipse es, in omni conscientia teipsum intueris; omne obiectivum tu ipse es, subiectivo coram positum" — dicit Fichte. „Non-ego" non existit et quod obiective „non-ego" vocamus, est aliquid in nostro „ego" positum. Sed hoc „non-ego" necessario nobis contra positum apparet.

Quia praeter „ego" nihil datur, est ipsum „ego" absolutum, infinitum. Ut autem sui conscium fieret, debet se ponere, in qua

actione simul agens est et productum, ponit se per suum esse et est per suum positum esse. Quum autem cum conscientia τοῦ Ego simul conscientia τοῦ Non-ego necessario coniuncta sit, debet se τὸ Ego in essentia ponere tamquam Ego et tamquam Non-Ego, quod τῷ Ego contra ponitur. Quod tunc possibile est, si Ego, quod cum sua tota infinitate se ponere studet, limitationem in se cognoscit, qua impeditur, quominus se tamquam infinitum ponat; haec limitatio est Non-Ego. Limitatio talis postulari debet, quin probari possit. Per eam limitationem Ego tamquam finitum sui conscium fit, ex altera parte etiam Non-Ego, quod aliquod in Ego est, finitum esse debet.

Dicta per formulam exprimi possunt:

α) Ego ponit originetenus suum esse — A est A: Ego sum Ego;

β) τῷ Ego contra ponitur τὸ Non-Ego — A non est A — Non-Ego non est Ego;

γ) Ego contra ponit divisibili Ego divisibile Non-Ego et tunc:

γ_1) ponit se Ego tamquam limitatum et determinatum per Ego,

γ_2) Ego ponit Non-Ego tamquam limitatum et determinatum per Ego.

In casu γ_1) est Ego intelligentia, in casu γ_2) voluntas.

b) Ius pertinet ad libertatem externam, moralis ad internam. Quum se Ego ponat, oriuntur individua; per positionem limitationum τοῦ Ego oritur summa limitationum. — ius. Fundamentum iuris est contractus.

c) Ego limitatum et determinatum per Non-Ego apparet; est ideo τοῦ Ego, ut limitationem τοῦ Non-Ego superare tendat, ut Ego ad infinitam positionem pervenire posset; haec tendentia est moralitas. Quatenus officium hoc Ego adimplet, creator est ordinis moralis; qui ordo divinum — Deus est.

Nos Deum aliquid extra nos existens habemus, quod tamen solum e limitatione intellectus nostri sequitur. Moralis et religio unum idemque sunt. E persuasione, nos per liberationem a limitationibus et a sensualitate, quae per limitationes causatur, vere liberos fieri, oritur fides. Fides est merum decretum voluntatis et est necessaria. Ut homines iuxta id decretum agere possent, necesse, ut voluntas realitatem mundi externi postulet. Sic modo apud Fichtium fides locum τοῦ Ego, quod per positiones et contrapositiones usque ad nihilismum dissolutum est, occupare debet, ut ordo mundi moralis et realitas mundi externi salvari possit.

Realitatem Dei non curat; est ergo systema eius obiective spectatum atheisticum.

3. Fridericus Guillelmus Ioseph de Schelling, Leonbergensis in Suevia, nat. an. 1775, studia perfecit ex parte in seminario protestantico-theologico Tubingae, ex parte Lipsiae. Docuit Ienae; an. 1803 cathedram philosophiae Wurceburgi adeptus est, an. 1827 Monachium petiit, 1841 Berolinum, ubi munere docendi abdicavit et anno 1854 in balneis Ragazae in Helvetia mortem obiit.

Incipit a systemate Fichtii, sed τὸ Non-Ego e sphaera subiectiva transfert in obiectivitatem, docet igitur opposite ad Fichtium, qui idealismum subiectivum proposuit, idealismum obiectivum. Quia Non-Ego in obiectivitatem transtulit, debuit et Ego in mundum obiectivum transferre, quia Ego cum Non-Ego necessario coniunctum sit. Qua ratione Ego anima mundi fit, i. e. Ego absolutum, quod quilibet tum in se habet tum extra se in mundo invenit. Determinationes cogitandi sunt simul determinationes essendi: cogitare et esse sunt identica.

Inde Schellingii philosophia identitatis, quae in repraesentatione intellectuali fundatur. Organum repraesentationis est ratio transcendens, quae est totalis indifferentia subiectivi et obiectivi. Quum se subiectum ponat tamquam obiectum, nihil in mundo est, quod esset merum subiectum, sed omnia mixta sunt quantitative e subiecto et obiecto. In quantum subiectum, i. e. ideale (spiritus) praevaleat, evolvuntur potentiae subiecti: α) scire (verum), β) agere (bonum), γ) ratio (pulchrum); in quantum praevaleat obiectum, i. e. reale (natura), existunt gradatim secundum realis incrementum et idealis decrementum: α) materia, β) lux, γ) organismus. Ita omnia in absoluto sunt et absolutum in omnibus. Secundum subiecti et obiecti evolutionem philosophia identitatis dividitur in philosophiam spiritus et philosophiam naturae.

In philosophia spiritus absoluta identitas est spiritus universalis, ipsum Absolutum simpliciter: Deus. In philosophia naturae absoluta identitas est anima mundi.

b) In Iure et Morali sectatur Kantium et Fichtium. Ubique efficientiam absoluti videt, maxime autem in ingenio artificis, quia ex opere eius apparentia contraria tamquam absoluta identitas optime elucescunt.

c) In Theosophia procedit eodem modo secundum subiectivi et obiectivi evolutionem. Separatio obiectivi a subiectivo

causa erat peccati originalis, quod redemptionem postulabat, quae aut sensu Platonico tamquam Palingenesia aut tamquam Iustificatio et Sanctificatio per Messiam concipi potest. Homo appetebat, aequalem se fieri Deo et propterea ab Absoluto, Divino decidit. Ex quo in Divino quaedam intensitas orta est, cuius sequela fuit, quod in ipso secunda persona independentem existentiam acceperit, a patre se separaverit et Redemptor facta sit. Mundi creatio explicatur e voluntate Absoluti, suam gloriam manifestandi. Hoc et simili modo omnia mysteria christiana explicare studet, utens stylo eleganti et fascinante. Sed christianum systema eius non est, imo totum neoplatonicum, pantheisticum.

Panlogismum docuit:

4. Georgius Guillelmus Fridericus Hegel, Stuttgardiensis, nat. an. 1770, studuit Tubingae, docuit initio Ienae, 1816 Heydelbergae, 1818 Berolini, ubi anno 1831 obiit. Opera eius praecipua sunt: „Die Phaenomenologie des Geistes" et „Die Encyclopaedie der philosophischen Wissenschaften".

A Schellingio accepit doctrinam de identitate cogitandi et essendi et fecit eam fundamentum doctrinae prout magister suus, sed asserebat, identitatem illam non esse quaerendam in quadam indifferentia transcendentali, sed in logico conceptu — Panlogismus. — Obiectum philosophiae est reale, sed reale est universale tantum; particulare est phaenomenon universalis. Hoc universale est per se, est esse obiectivum. Quum varias differentias particularium in se ponat, est cogitare: propterea esse et cogitare identicum est. Sed universale solum in conceptu cogitatur et conceptus unica est forma cogitandi. Identitas essendi et cogitandi est realiter in conceptu solo et propterea conceptus universalis est substantia, quae est substratum et fundamentum omnium phaenomenorum et essentia omnium rerum. — Conceptus se negat quoad suam universalitatem, sed tamen secum et cum universali identicus manet, nam eodem actu negat negationem suiipsius et retinet eam in se tamquam negatam; sic modo negatio et negatio negationis vita quasi est conceptus, qua se in res singulas evolvit. — Tali modo conceptus universalis tamquam „ratio - ens" apparet; est universalis substantia, quae diffluit in pluralitatem rerum, quae tamen eodem momento in substantia universali dissolvuntur. Distinguenda est quidem haec ratio universalis a ratione sui conscia vel nostra, sed non est ab ea separanda. Quum res

cogitemus, consumamus quasi argumentum earum tamquam esse alienum et convertimus illud in nostras cogitationes. Quum ergo ratio res inquirit, se ipsam inquirit et studet, se ad conscientiam sui tamquam „rationis — entis" (rationis absolutae) elevare. Quod philosophia praestare debet, quam Hegel definit: „scientiam rationis, quatenus ipsa sui ipsius tamquam entis universalis in conceptu logico conscia fit." Ipsa incipere debet secundum eum ab experientia, qua obiecta recipit, deinde tollit vel resolvit, ut id, quod per empiriam datum est, iterum a priori deducat.

Conceptus logicus universalis, ad quem omne reale reducitur et in quo dissolvitur, est Absolutum — Deus. Transcendentalia non existunt, ergo neque Deus transcendens existit. Conceptus universalis est absoluta immanens essentia omnium rerum. Praeter hoc absolutum et infinitum nullum aliud existit. Neque existit aliquod finitum, nam quod finitum nominamus, non est, nisi particulare illius absoluti universalis. — Obiectum philosophiae et religionis est unum idemque, videlicet absolutum, Deus. Quum absolutum in homine se prodere tendat, oritur processus logicus, quem argumenta pro Dei existentia appellamus.

Si proceditur ab esse ad conceptum, oritur argumentum cosmologicum et teleologicum, si proceditur a conceptu ad esse, oritur argumentum ontologicum. Religio est conscientia hominis de Deo et Dei de seipso in homine. Ipsa per varios gradus progreditur, inde tot diversae religiones. — Absolutum consideratur in se, „in sua aeternitate ante creationem," quod est regnum patris, vel manifestatur in gradu exinanitionis in natura — regnum filii, vel in se ipsum redit et quod deciderat, cum se ipso reconciliat et spiritus fit — regnum spiritus. Hae tres periodi sunt iuxta Hegel obiectum totius philosophiae revelatae religionis. Qua ratione theosophia Hegelii in perfectum gnosticismum abit.

Pantheistis accensetur:

5. Fridericus Schleiermacher, Vratislaviensis, nat. an. 1768, docuit Berolini theologiam protestanticam et academiae scientiarum membrum evasit.

Asserebat, cogitare et velle, ideale et reale meros modos esse τοῦ Esse, quod se intime manifestet in affectu. „Cogitare" non est individuale, sed omnibus hominibus commune, quia in aequalitate organisationis fundetur.

Religio est universalis affectus dependentiae, qui eo oritur, quod se Deus per conscientiam immediate manifestet. Religio a philosophia separanda est, quia est mere subiectiva, quod praecipue de religione christiana valeat. Talis doctrina non potuit non destructive influere in theologiam protestanticam et tristissimos ferre fructus; dolendum eo magis, quod haec philosophia etiam nonnullorum catholicorum theologorum in Germania animos infecerit.

§ 36. Pessimismus.

1. Arthur Schopenhauer, Danzianus, nat. a. 1788, magistris usus est Schulze, Fichte et Goethe, docuit aliquamdiu Berolini, multa itinera suscepit, denique vitam privatam agens studiis vacabat usque ad mortem, quam Francofordii an. 1860 obiit. Opus eius praecipuum est: „Die Welt als Wille und Vorstellung“ (ed. 2. Lipsiae 1844).

Incipit a Kantio et subiectivas eius formas spatii, temporis et duodecim alias categorias agnoscit. Sed opposite ad Kant, qu asserebat, essentias rerum nobis ignotas esse, dicit, has essentias per voluntatem universalem explicandas esse. Voluntate intelligit vitam et tendentiam in universo usque ad creaturas anorganicas, ita ut non solum omnes formae essendi, sed ipsum cogitare non sint, nisi modi illius voluntatis. Secundum sententiam eius, voluntas principium coecum est, quod omnibus creaturis dominatur et in supremo gradu suae evolutionis per sensus et cerebrum ad ideam et sui conscientiam pertingit.

Intellectus a voluntate emancipatus pedetentim ad cognitionem venit, hunc mundum finem non habere praestitutum et doloribus totaliter immersum esse, inde procedit ad atheismum et pessimismum, denique ad completam voluntatis negationem. Mundum praesentem omnium deterrimum esse dicit, Optimismum vocat perversam cogitandi rationem imo ironiam in innumeros et ineffabiles dolores huius mundi. Hominis est, hoc agnoscere, voluntatem negare, a vita se avertere, quod tum compassione fit tum ascesi, qua voluntas vitam despicit usque ad totalem voluntatis exstinctionem, ita ut „nihil“ remaneat et omnia quasi in „nihil“ recidant.

2. Eduardus Hartmann, Berolinensis (1852—1886), restauravit systema Schopenhaueri, sed pro „voluntate universali“ posuit inconscium, quod in „Philosophia inconscii“ (Berolini 1869) descripsit. Inconscium non est aliqua essentia, non est

principium cognoscitivum, sed pura potentialitas, potentia appetitiva. Primum se manifestat in atomis, evolvit se ultro in entia altiora, usque dum in homine ad suiconscientiam venit. In hoc vero stadio cognoscit, mundum praesentem pessimum esse et se in viam malam tetendisse, ideo optimum esse, alia via se evolvere, usquedum in „Nirvana“ redierit. Hac ratione inconscium, quum per diversas evolutiones transierit, denique cognoscit, felicitatem nullibi, neque in mundo hoc neque in mundo transcendente inveniri posse, optimum ergo esse, ut mundus inito omnium hominum aut saltem maioris partis decreto in „nihil“ proiiciatur et „velle“ in „non-velle“ mutetur. Quod ut fieri possit, tres illusiones removendae sunt: amor felicitatis terrestris, spes felicis vitae futurae et fiducia in progressum.

Sic modo doctrina Hartmannii ad Buddhismum declinavit, quem et ipse intime commendat.

Pars quarta.

Philosophia recentior christiana.

Dum philosophia moderna in puras abstractiones abierit et denique ad materialismum duxerit, philosophi catholici philosophiam christianam veterem restaurare studuerunt. Non tamen omnes eadem et ex omni parte via recta procedebant. Alii enim Cartesianae philosophiae addicti, theoriam idearum innatarum eo usque ampliarunt, quod affirmarent, ideas non esse naturae innatas, sed animam easdem in Deo immediate intueri: Ontologismus. Alii theoriam ontologismi tamquam rationalisticam reiicientes dicebant, omnem cognitionem nostram e revelatione primitiva derivari: Traditionalismus; alii idealismum Germanorum adoptarunt et placitis eius mysteria christiana exponere tentabant, ut ostenderent, revelationem rationi non contradicere et futurum esse, ut ratio omnes veritates divinas comprehenderit: Semirationalismus. Alii denique philosophiam Patrum et Scholasticorum renovantes, eandem scientiarum naturalium et sanis philosophiae antiquae et recentioris inventis ditantes, Philosophiam christianam restauratam fundarunt, cuius propagatio sub auspiciis gloriosissimi Pontificis Leonis XIII. in dies laetius proficit.

§ 37. Ontologismus.

1. Ontologismi auctor est Nicolaus Malebranche (1638—1715), Parisiensis, sacerdos Oratorii et academiae scientiarum membrum. Praecipua opera eius sunt: „Récherche de la verité" et „Entretiens sur la metaphysique et sur la religion".

Doctrinam Cartesii de conscientia tamquam fundamento omnis cognitionis suam facit, omniaque ex ideis derivari debere affirmat. Sed quum Cartesius ideas innatas esse dicat, Malebranche originem idearum Deo attribuit: „sicut Deus ubique praesens est et rationem nostram immediate illuminat, ita et ideas rerum in Deo immediate intuemur".

Experientia est occasionalis causa attentionis, quae ad cognitionem harum idearum requiritur. De reali rerum existentia edocemur per revelationem divinam. Etiam operationes corporis et animae occasionales causae tantum sunt cognitionis nostrae, quam Deus efficit. Quum ergo Deus causa activa in omni nostra operatione spirituali sit, etiam voluntas effectus Dei in nobis est, et liberi sumus in tantum, in quantum consensum ad bonum a Deo nobis repraesentatum dare non cogimur. Quo autem hoc fiat modo, Ontologistae utique explicare nesciunt. Convenienter malum morale non esse actionem docent, sed denegationem consensus ad bonum, ad quod tendere a Deo impellamur.

2. Antonius Rosmini (1797—1855), Roveredensis, sacerdos, qui Congregationem pro instructione in doctrina christiana et pro cura pauperum fundavit.

Docuit, ideam infiniti innatam esse. Infinitum est: indeterminata, illimitata idea entis, quae est fundamentum omnis nostrae cognitionis. Quae idea si limitata est, adest idea concreta, si minus limitata, abstracta. Perceptio sensitiva ope ideae immanentis obiectivatur, unde perceptio intellectualis oritur. A perceptione intellectuali proceditur ad universalisationem, si mens concreta obiecta non respicit; si neque proprietates respicit, quae obiecta individuant, oritur abstractio. Tota eius philosophia denique in abstractiones dissolvitur. Confecit eam Rosmini, ut „Italia iunior", ad quam pertinebat, propriam, a Roma independentem, nationalem haberet philosophiam. Doctrina eius a Leone XIII. damnata est.

3. Vincentius Gioberti (1801—1852), Turinensis, sacerdos, anno 1833 propter adhaerentiam ad „Italiam iuniorem" patria pulsus, Bruxellos se contulit, ibique 15 annos in instituto privato philosophiam docuit.

Rosmini infinitum ens dicit esse reale, quod est absolutum — Deus. In Deo per intuitionem omnia conspicimus. Intuitio duplex est: directa, si Deum confuse cognoscimus; si autem super eum reflectimus, oritur intuitio reflexa, notiones scilicet, ad quarum expressionem verbum necessarium est. Absolutum necessario existit. In quantum Deum non solum in se intuemur, sed simul in eo intuemur actum creationis, cognoscimus in Deo res mundanas.

Doctrina Gioberti sanae theoriae cognitionis, quae ab experientia incipit, plane opposita est.

4. Gratry (1805—1872), Lillensis, sacerdos Oratorii et Casimirus Ubaghs, professor Lovaniensis, quorum prior docuit, existere rationem divinam et rationem humanam, primam esse infallibilem, secundam vero fallibilem, cogitare non esse nisi perpetuam pugnam inter Rationem et irrationem; posterior asserebat, ideam infiniti nobis innatam esse debere, alioquin nunquam ad eius cognitionem pervenire possemus.

§ 38. Traditionalismus.

1. Ludovicus Gabriel de Bonald (1754—1840), oriundus nobili familia; tempore revolutionis Gallicanae Heydelbergam aufugit, deinde iterum in Galliam rediit et membrum camerae deputatorum factus est.

Bonald docuit, ideas innatas esse et loquela excitari. Loquelam non invenerunt homines, sed Deus eam dedit protoparentibus una cum universalibus veritatibus moralibus, religiosis et socialibus, quae cum loquela ad posteros transmissae sunt et transmittuntur, ita ut omnis scientia sit e traditione.

Verum quidem est, revelationem principium directivum cognitionis humanae esse, attamen non est verum, acsi ratio humana per se nihil cognoscere posset.

2. Felicitas R. de La Mennais (1781—1854), studuit theologiae et an. 1817 sacerdos ordinatus est. Anno 1818 primum de traditionalismo scriptum edidit; 1828 iter Romam suscepit, ut doctrinam suam ibi exponeret, sed re male gesta in Galliam rediit et folia religiosa „L' avenir" edebat, in quibus necessitatem separationis reipublicae ab ecclesia asserebat, quae placita a Gregorio papa XVI. reprobata sunt. Quin sententias suas revocasset aut correxisset, doctrinam christianam usque ad obitum adulterari perrexit. Summa doctrinae eius est:

Deus primo homini veritatem communicavit, quae per traditionem ad posteros est transmissa, usque dum bonum omnium hominum commune evasit. Universalem consensum hominum in veritate tradita rationem universalem vocat (la raison général), cui se omnis ratio individualis subiicere debet, ut verum cogitet et cognoscat, quia ex se prorsus impotens sit, veritatem invenire.

3. Ludovicus Eugenius Bautain (1795—1867), Parisiensis, sacerdos et professor philosophiae Strassburgii, qui rigidum traditionalismum docuit, dicens, unicum fontem omnis cognitionis esse revelationem et traditionem et philosophiam sanam a sacra Scriptura incipere debere, quia in ea omnes quaestiones philosophicae solvantur. Placita eius a S. Sede reiecta sunt et ipse ea laudabiliter revocavit. Sed resuscitavit et defendit ea Augustus Bonetty (1798—1879).

§ 39. Semirationalismus.

1. Franciscus Baader (1765—1841), Monacensis, professor et academiae scientiarum in patria urbe membrum. Doctrina eius sequentibus breviter delineari potest:

Scientia nostra non est, nisi participatio scientiae divinae, quae fides nominatur. Fidei praecedit quoddam necessitans desiderium, ea, quae fides praebet, libere accipiendi, quod „scire" dicitur. Fides igitur et scientia ab invicem dependent. Sine fide non datur scientia speculativa. Quaelibet scientia est proprio sensu accepta scientia religionis. Hominis est, doctrinas fidei argumentatione, dogmatum evolutione, eorum progressu, ampliatione, respective purificatione magis magisque intelligere studere. Nulla veritas est occlusa; mysterium est tamdiu veritas velata, quamdiu a nobis totaliter comprehendi non potest. Necessitatem et possibilitatem revelationis non quidem negat, sed quia possibilitatem progressus et mutationis dogmatum ratione proficiente docet, est systema eius vere semirationalisticum.

2. Antonius Günther, Lindenaviensis, nat. a. 1783, studuit Pragae iuris prudentiae et philosophiae. Zelo pantheismum seu monismum debellandi animatus, ordinem Iesuitarum amplexus est, mox tamen eundem deseruit et usque ad mortem suam an. 1863 Vindobonae magister privatus vixit. Placita eius a s. Sede reprobata sunt. Ipse laudabiliter se subiecit et asserta sua revocavit. Praecipua opera eius sunt: „Vorschule der speculativen Theologie" (Vindobonae 1827), „Peregrin's Gastmahl" (1830), „Süd- und Nordlichter am Horizont der speculativen Theologie" (1831), „Der letzte Symboliker" (1834), „Thomas a Skrupulis" (1835), „Euristhenes und Herakles" (1850). Praeterea cum Pabst, medicinae doctore, folia „Janusköpfe für Philosophie und Theologie" (1834) et cum canonico dre. Veith annuarium „Lydia" edebat.

Philosophiam dividit in theoriam creationis et redemptionis.

a) Theoria creationis. Ad suiconscientiam pervenit homo, quum operationem suam cuidam principio tamquam substrato attribuat, quod ideo effectus producit verumque Esse est et non mera apparentia. Hoc „suiconsciens" est liberum et „in se totum." Libertas voluntatis non est necessario libertas indifferentiae, sed est firmitas characteris, qua praesente voluntas non ultra a motivis allicitur, ut ad utramque partem vacillet. — Reale „ego" est dependens, ideo creatum. Homo enim nequidem ad suiconscientiam independenter se elevare potest, sed indiget ad hoc excitatione creaturarum aliarum, quae iam suiconsciae sunt. Experientia teste infans a societate separatus statum culturae animalium non transgreditur. Quod autem dependens est in existendo (apparendo), contingens est etiam in essendo. Et hoc iterum supponit absolutum, independens, illimitatum — Deum transcendentem. — Suiconscientia ducit ad cognitionem naturae tamquam principii a spiritu diversi. Quum se spiritus tamquam principium suae operationis cognoscat, etiam in natura tale principium agnoscere debet. Philosophia hoc triplex „esse", i. e. Deum, spiritum et naturam ope suiconscientiae aprioristice inquirere et exponere debet. Sicut nos, ita et Deus suiconscientiam necessario habet, quae tamen est absoluta, immediata, quia Deus seipsum comprehendit. Quod si facit, suam essentiam denuo ponit, qua ratione secundum oritur principium: antithesis et, quum antithesim sibi aequalem consideret et ponat, oritur synthesis. Sic modo in Deo tamquam suiconscientia absoluta tres oriuntur substantiae vel triplex in eo „Ego" adest: absolutum subiectum: Pater, absolutum obiectum: Filius, absolutum subiectum-obiectum: Spiritus Sanctus. In essentia tamen vel absoluta ad invicem relatione unum sunt. Processus positionis est aeternus et suiconscientia Dei in eo consistit. Quaelibet harum trium substantiarum iterum se ponit et se tamquam „ego" cognoscit et a „non-ego" discernit, qua triplici positione et negatione in Deo idea mundi secundum triplicem distinctionem oritur: spiritus, natura, homo. In Deo adest

unitas quoad essentiam, triplicitas quoad essentialem formam, in mundo e contra adest triplicitas quoad essentiam, unitas vero quoad formam. Divina idea de triplici „non-ego" mundus non est exortus, sed est vere creatus omnipotentia divina et quidem in tantum libere, in quantum Deus non fuit coactus in creatione perficienda, non autem eo sensu, acsi eligere potuisset inter creare et non creare, quum pro sua essentia mundum creare debuerit. Non creavit mundum ad sui gloriam, sed ut ex amore creaturis felicitatem divinam communicaret. Spiritus pertingit ad „esse" per phaenomena, natura in phaenomenis haeret. Quare essentialis forma in spiritu idea est, in natura universale phaenomenorum, quod in animalibus per phantasiam proditur, sed demum in spiritu humano ad ideam se elevat. Homo est vivens synthesis spiritus et naturae. Non posset synthesis esse, nisi corpus proprium principium vitae haberet, quod est psyche naturalis. Propterea in homine triplex principium adest: corpus, psyche, spiritus (πνεῦμα). Per corpus et psychen repraesentatur natura, per spiritum e contra mundus spiritualis altior. Psyche naturalis solo gradu differt ab anima animali et generatur una cum corpore. Spiritus est actus divinae creationis, solusque est monas; spiritu differt homo quantitative ab animali. Psyche cum spiritu in homine hypostatice est unita, ita ut exeunte spiritu et psyche e corpore exire debet. Coniunctio spiritus cum corpore tamquam organo psycheos et viceversa est dynamico-organica. Spiritus solus personalitate gaudet, psyche competit vita generica.

b) Theoria redemptionis. Primus homo secundum spiritum a Deo immediate, quoad corpus mediate tamquam productum naturalis substantiae creatus est. Quum nemo adesset, qui hominem ad suiconscientiam adduceret, Deus hoc per loquelam facere debuit. — Iustitia originaria in eo consistebat, quod spiritus immediate subiectus fuerit Deo, psyche spiritui. Deus hominem in alio statu, quam vere creavit, creare non potuit, et propterea status „naturae purae" mera fictio est. Suiconscientia in homine initio imperfecta erat; sui „esse" quidem divina efficientia conscius factus est, sed ut conscius fieret etiam suae libertatis, necessarium erat, ut Deus voluntatem suam ei manifestaret, nam hac sola ratione effici potuit, ut voluntas hominis creata ex interna indeterminatione ad determinationem per suiconscientiam solicitaretur et se tamquam libera cognosceret. Mandatum primo homini datum debuit esse prohibitivum, ut

creatura conscia fieret, se esse dependentem. Sive observasset mandatum sive non, spiritus humanus perfecte sui conscius fieri debuit, debuit personalis evadere; quare primum mandatum plane necessarium erat. Obediendo debuit homo affirmare subiectionem psyches sub spiritum; quia autem hanc subiectionem negavit, ortum est peccatum originale. Secuta est separatio spiritus a Deo et Dei a spiritu, porro seiunctio psyches a spiritu, eius renitentia et lucta inter carnem et spiritum. Peccatum displicentiam divinam causavit et per relationem actionis e parte hominis et reactionis e parte Dei culpa orta est. Haec erat hereditaria, quia spiritus cum corpore coniunctus vitam generis repraesentabat et quia tamquam tali Deus mandatum dedit. Quum culpa hereditaria fuerit, etiam meritum hereditarium esse debuit, ut culpa deleretur, quod Christus praestitit. In Christo non est unica persona, nam persona in suiconscientia consistit, quae naturae Christi humanae denegari non potest.

Hoc principio innixus dicit Günther, in Christo duas personas in unam personalitatem, in unum Ego ita coniunctas esse, sicut psyche et spiritus in unam unitatem formalem coniunguntur. Incarnatio Logi necessaria erat, quia homo seipsum in originarium statum indeterminationis restituere non potuit. Ut autem Christus vere mereri posset, debuit liber esse ita, ut bonum et malum eligere potuerit. Doctrinam de impeccabilitate Christi absurdam esse dicit. Christus fuit secundus Adamus et subiit probationem pro toto genere humano in tentatione diaboli. Quo actu sua personalitas perfecta evasit, ipse pro toto genere humano sua obedientia meruit et culpam delevit. Praeter deletionem culpae probatione sua Christus etiam descensum Spiritus Sancti — secundam incarnationem — meruit, qui ecclesiam cum membris a poena aeterna liberavit. Iustificatio est deletio culpae et fit per ingressum in genus humanum. Sanctificatio est reassumptio spiritus in Deo et ablatio peccati. Sic modo homo a culpa et poena generis liberatur, sed ut etiam tamquam ens personale et liberum iustitiam hereditatam personalem faciat, secundus Adamus imitandus est. Quae imitatio iterum in subiectione psyches sub spiritum et spiritus sub Deum consistit.

Günther ordinem naturalem cum supernaturali confundit et respectu ss. Trinitatis, necessitatis creationis, doctrinae de incarnatione, de personalitate in Christo, de peccato originali et redemptione talia docet, quae a doctrina revelata aliena sunt. Merito igitur doctrina eius ab Ecclesia damnata est.

§ 40. Philosophia christiana restaurata.

Scholasticam propter inutiles subtilitatum discussiones et styli negligentiam collapsam viri docti, praeprimis ex ordine Dominicanorum et Iesuitarum, restaurare studebant. Incitabant ad hoc Reformatorum deliria, qui doctrinam de peccato originali, de iustificatione, de gratia, de libero arbitrio et sic porro adulterarunt; incitabat Iansenius (1585—1638) in suo opere„ Augustinus", ordinem naturalem et supernaturalem confundens et distinctionem utriusque inventum Scholasticorum esse dicens. Quare necesse erat, principia metaphysica uberius explicare et accusationes contra scholasticam prolatas redarguere. Alii igitur philosophorum S. Thomam commentati sunt, alii e scriptis Patrum, Scholasticorum, Aristotelis et Platonis compendia philosophica composuerunt vel lucubrationes confecerunt. Ideae christianae, quae in universitatibus lingua latina exponebantur, in litteraturas nationales receptae sunt et praeprimis in poësin salubriter influebant. „La divina commedia" a Dante Alighieri et „Cid", epos hispanicum, philosophiam christianam spirant, et poësis sacra ideis christianae philosophiae abundat. Post infausta tempora saec. XVIII. saeculo nostro, quum philosophia moderna eo usque devenerit, ut nihil certum esse affirmaret et scepticismus, pessimismus et materialismus scientiam et vitam socialem corrumperent, philosophia christiana, opitulante imprimis Pontifice Leone XIII., florescere coepit.

Inter tot cultores philosophiae christianae restauratae saltem nonnullos adducere iuvat:

1. Saeculo 14. labente in Bohemia lingua vulgari philosophiam christianam propagavit Thomas de Štitná, quod tempore illo, quo scientiae lingua latina in scholis sublimioribus tradebantur, inauditum erat et etiam a magistris Pragensibus vituperatum est. Thomas natus est an. 1325 in patria arce Štitná in Bohemia et studuit philosophiae et aliis scientiis in universitate Pragensi, ubi cum doctissimis suae nationis conversatus est optimosque praedicatores, qui tempore Caroli IV. in moribus reformandis et in religione catholica propaganda laborarunt, audivit. In patriam arcem reversus, libellos pro suis liberis primum destinatos scripsit, quos deinde ampliavit et publicos fecit. Suntque libelli hi partim opera originaria partim translationes e scriptis S. Augustini, Bonaventurae, Richardi a S. Victore, Hugonis et aliorum. Ad priora pertinent: „Sex libri de communibus rebus christianis" (Knihy šestery o obecných věcech křesťanských" edidit Erben 1852), „Sermones familiares" (Řeči besední), constantes e duabus partibus: „Colloquium animae cum conscientia" et „Colloquia pia", denique „Homiliae". Thomas Stítnensis obiit c. a. 1400.

2. Ex ordine Dominicanorum eminent: Franciscus de Vittoria (1480—1566), oriundus Vittoria in Cantabria, qui in universitate Parisiensi studuit atque in patriam reversus, in universitate Salamaticensi S. Thomae doctrinam explicavit et in Hispania propagavit. Celeberrimus discipulus eius fuit Dominicus Soto († 1560), qui inter optimos theologos concilii Tridentini numeratur.

3. Ex ordine Societatis Iesu praeter alios notari merentur: Gabriel Vasques († 1604), docuit Alcalae et edidit „Commentarium in Summam S. Thomae", qui inter optimos habetur, nec non „Disquisitiones metaphysicas". — Petrus Fonseca (1528—1599), qui ad Collegium Conimbricense pertinebat, a quo edita sunt nota commentaria ad philosophiam Aristotelis. — Franciscus Suarez (1548—1617), e nobili gente oriundus, qui studuit Salamancae et docuit Segoviae, Romae, Alcalae, Salamancae, denique, a Philippo II. rege vocatus, Coimbriae. Suarez ad optima ingenia philosophica pertinet. Praeter commentarium in S. Thomam egregium alia scripsit opera philosophica, quae in editione Veneta ex anno 1740, 23 volumina in folio complectuntur. Notari merentur imprimis: „Disputationes metaphysicae" et scriptum „De anima".

4. Ineunte saec. XIX. a) in Italia, Roma et Neapolis centra fuerunt, e quibus restauratio philosophiae christianae prodiit et nunc laetissime propagatur. Palmam praefert: Matthaeus Liberatore, Salernius, natus 1810, ex ordine Iesuitarum, docuit Neapoli et Romae; scripsit et edidit lingua latina: „Institutiones philosophicas", quae brevi tempore ultra 25 editionibus propagatae sunt, italice: „Della conoscenza intelletuale", „Del composito umano", „Degli universali" et alia. — Aloisius Taparelli (1793—1862), Taurinensis, qui scholasticam philosophiam moralem et socialem instauravit. — Cajetanus Sanseverino, canonicus, qui docuit Neapoli. Edidit „Philosophiam christianam cum antiqua et nova comparatam", quae tum apparatu scientifico cum claritate eximia et styli simplicitate eminet. — Salvator Tongiorgi (1820 — 1865) („Institutiones philosophicae") et Dominicus Palmieri, qui atomismum mitigatum defendunt. Praeter hos ediderunt opera philosophica: M. Zigliara „Summam philosophicam in usum scholarum"

(Rom. 1876), L. Schiffini „Principia philosophica" (Taurin. 1886), „Disputationes metaphysicas" et „Institutiones philosophicas ad mentem S. Thomae", F. Satolli „Enchiridion philosophiae" (Brunnae 1884), Ioannes Maria Cornoldi et alii. — Travaglini Neapoli academiam medico-philosophicam condidit, in qua medici materialismum principiis philosophiae christianae impugnant.

b) In Hispania regenerator philosophiae christianae saec. XIX. exstitit Iacobus Balmes (1810—1848), Catalonius, sacerdos, qui duo praecipua opera philosophica: „Filosofia fundamental" (1846) et „Curso di filosofia elemental" edidit.

Secuti sunt Ioan. Em. Orti y Lara, Michael Sanchez et Zephyrinus Gonzalez, Cardinalis († 1895), qui ultimus in suis operibus: „Etudios sobre la filosofia de santo Tomas" et „Filosofia elementaria" quaecunque bona et salubria in philosophia moderna invenit, cum principiis philosophiae christianae in systema coniungit, quae vero mala, ingeniose refutat.

c) Etiam in Gallia, Belgio et Anglia post multas turbas veritas christiana cathedras occupare pergit.

M. Rosset, Camberii docens „Prima principia scientiarum, seu philosophiam catholicam iuxta D. Thomam (Parisiis 1866) publica fecit, Grandclaude, docens Parisiis, „Breviarium philosophiae scholasticae" confecit, Bouvier, Iouin, Vallet et alii compendia philosophica ediderunt. In Belgio imprimis Lovanienses: Lepidi, Mercier, Lahousse, Van der Aa et alii opera philosophica exararunt.

d) In Germania et Austria post multas dissensiones, quas philosophia idealistica et sceptica causavit, novissime philosophia christiana in facultatibus et seminariis theologicis tradi coepit et indies proficit.

Philosophica folia periodica (Philosophisches Jahrbuch der Leo-Gesellschaft, Jahrbuch für Philosophie und speculative Theologie, Thomas Blätter et alia) ad sapientiam christianam propagandam multum conferunt. Viri tum philosophiae antiquae et modernae optime gnari, tum in scientiis naturalibus versati verbo et calamo in philosophia christiana restauranda laborant.

Libros philosophicos late divulgatos ediderunt: A. Stoeckl, C. Gutberlet, E. Commer, G. Hagemann, T. Pesch, Fr. Schmid, Fr. Egger, Jos. Pospíšil, E. Kadeřávek, V. Hlavatý, C. Schneider, V. Grimmich et alii multi.

5. Quae omnia faustissime promoventur et proteguntur per gloriosissimum Pontificem Leonem XIII., qui vere „Lumen de coelo" appellatur. Is ad philosophiae christianae incrementum die 4. Augusti 1879 litteras encyclicas „Aeterni Patris" ad omnes ecclesiae Episcopos dedit, in quibus eos enixe hortatur „ut ad catholicae fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum auream s. Thomae sapientiam restituant et quam latissime propagent". Academiam Romanam Pontificiam Philosophiae constituit, e decem Romanis, decem Italis, et decem alienis philosophis compositam, quae philosophiae scholasticae defensionem et propagationem latissime promoveret. Opera s. Thomae et s. Bonaventurae de novo edi curavit, universitates catholicas neofundatas protexit et cathedras philosophicas dotavit, scientiarum humanarum studium iterata vice commendavit et ipse in litteris encyclicis doctrinas sociales et religiosas ad principia philosophiae christianae modo dillucido explanavit. Faxit Deus, ut studium verae sapientiae, tanta auctoritate firmatum, salubriter floreat et crescat!

— ———

Errata typi.

Pag. 11 linea 34 lege: *πνεῦμα.*
„ 30 „ 27—28 lege: *περὶ ψυχῆς, ἠθικὰ Νικομάχεια, πολιτικά, πολιτεία.*
„ 32 linea 20 lege: *περὶ ψυχῆς.*
„ 35 „ 11 „ monumentum.
„ 37 „ 7 „ § 12.
„ 60 „ 5 „ Formae.

Index nominum alphabeticus.



